

F  
205











AD  
**CONRADI HOD**  
 DAEI M. D. ET GOT-  
 TING. PHYS.

*TERETISMATA*

quibus

CORNELII MARTINI ANDVVER-  
 pij professoris Logici in incluta Iulij  
 Academ. pub.

PRIMAE CONTRA RAMISTAS  
 disputationi

De subiecto & fine Logicæ

*OBSTREPIT,*  
 RESPONSIO AVTORIS.



HELMAESTADII  
 Excudebat Iacobus Lucius, Anno  
 M. D. XCVII.



Fg 705





IN SCITVM MAGNIFICI NOBILISS. ET CLARISS. VIRI DN. IOHANNIS IAGEMANNI.

*Inuia virtuti nulla est via:*

EPIGRAMMA

CORNELII MARTINI *Anduwerpy.*



Tent adamante suo fatorum immania iussa,  
Torqueat æratis horrida pollicibus  
Atropos atratæ subtemina ferrea vitæ,  
Frendat & impactis fors mala compedibus.  
Vna tamen virtus cunctis violentior istis  
Contra it, & inuoluens se sibi sponte sua  
Quærit iter, niueisque superuolat æthera pinnis,  
Ipsa sibi fatum, fors quoque & ipsa sibi est.  
Inuia ei via nulla, solum, coelum, mare, manes  
Remigio alarum præpete transit ouans.  
Hac IAGMANNE viri, quotquot polletis, abundè  
Quod facis, inuidia testificante tibi,  
Cingite victrici vernantia tempora lauru:  
Fama triumphales posthuma ducit equos,  
Quis vehat excelsos porrò vltra Amathusidos orbem,  
Semita quæ priscis cognita semideis.  
Vt post vitæ huius superatos mille labores,  
Mors quoque se victam sentiat & doleat.

MA-





MAGNIFICO NOBILI  
LI CLARISSIMOQ. VIRO  
DOMINO

70 ANNI 7 AGEM ANNO IN HAR-  
dessen & Gottingen

REVERENDISSIMI ET ILLUSTRIS-  
simi principis Domini HENRICI IV-  
LII postulati Episcopi Halberstadensis, ducis  
Brunsvicensis & Luneburgensis &c. Can-  
cellario, fautori suo

S. D.

**V**eritatem qui Soli comparet, minimè  
meo iudicio aberraverit. Ut ille enim  
vitam largiri & conseruare cunctis, quæ  
inferiore hoc mundo continentur, meritò credi-  
tur: ita hæc omnes res, quas homines scire & co-  
gnoscere ipsorum interest, quæ quidem penè in-  
finitæ sunt, & in lucem edidit, & in ijs dominatur  
imperiumq; obtinet. Atq; vt ille perfectissimum  
solidissimūq; lumen habet, omniaq;, & quæ hic  
vîpiam existant, & quæ supra nos sunt, corpora,

A 2

ma.



magnitudine, & viribus superat: sic ista adeo per se ipsa firma stabilisq; est, vt nullis vñquam machinis neq; concuti vehementer, neq; leuiusculè moueri valeat. Nollem equidem alia re tam inter se similia hæc forent, quàm esse reperio; quòd, vt illum sæpe nobis occultant nubes ac nebulæ, dum nos pluuijs aut niuibus aut grandine infestamur; ita sophistæ imperitorum, hoc est, eorum, qui vel numquam cognouerunt vera, vel apud quos ea radices nondum egerant, mentibus, inscitæ falsæque doctrinæ caliginem obducunt, ne ab his veritas perspiciatur; quam & ipsi nesciunt, aut auersantur, omnium principiorum, quibus artes & scientiæ constant, non minùs, quàm illi, qui ijs dant operam, ignari, aut, si quid eorum norint, hostes plusquam capitales. Non vnus enim generis sunt tenebriones eiusmodi: neque nostro primùm sæculo cæptum, vt tanto tamq; illustri lumini sua lippitudine obuiam ire ausint. Sed ex toto illo manipulo, atq; adeo ex omnibus, quotquot vel multò antehac, vel nuper, illi doctrinarum bonarum imperatrici oggannire non puduit, nulla reperitur æquè misera, æquè destituta rebus omnibus, quæ ad talem pugnam  
requi-



requirantur, natio, quàm qui se Rameos vocant, illo ipso magistro, vnde nomen habent, multò inferiores; cum tamen nec ipse eorum, quæ refellere & euertere non erubesceret, quidquam didicisset, vel intelligeret. Fuerunt quidem, qui, cum veritatis pedissequis familiares facti, itaque in eius armarium admissi, instrumentorum sic satis accepissent, ijs, quæ abstulerant, armis contra ipsam vterentur; si quibus in partibus quidquam illi eripere & suum facere possent: sed hoc frustra fuit. nec tamen ij tam turpiter se dederunt, quàm infelices isti, qui omnino inermes procedunt ac nudi, adeoq; nec galea, nec clypeo, nec thorace tecti; vt, vbicumque & quandocumque velis, impunè ferias: sine gladio, sine telo ruunt temerè; aut, si qua aduersum te eiusmodi micare visa sint, mox non nisi stipulam sentias, quam solo spiritu repellas facillimè. Ea disciplina est omnium id genus hominum; nec vllum excipio. sed vix quemquam reperias ex beato isto numero minùs aptum ad talia munia obeunda, siue ad inertis quoq; militis personam in scena repræsentandam, quàm est ille, qui Goettingæ, aduersus me crepuit, Hoddæus. Miseret me hominis in Phi-



loſophia peregrini, quòd ita propalam intelli-  
gentibus prodit, quàm ei ſint incognita, quæ ſci-  
re, etiam ad eam artem, quam ipſe facit, maximè  
ſit neceſſarium: arrogantiam verò, & eam, quæ a-  
lijs imponere poſſet, inſcitiam, celare meum  
non fuit. Neq; quemquam latet, modò rem in-  
telligat, & quæ vera ſunt, curæ ſibi habeat, vt  
iam antè nimio latiùs ſerpſerit iſtud contagium,  
quàm ſit è re litteraria; vtque ſi non extrema per-  
niciès, at periculosa clades ab eo malo litteris  
immineat: dum iſti iuniores falſis opinionibus  
imbuere, & antiquitati, à qua nos, quidquid ſa-  
pimus, precario adipiſci manifeſtum eſt, inſen-  
ſos reddere non dubitant: id quod & ego cum  
alijs ſedulò cauere ſtudeo, & mei muneris eſt.  
Verùm non ignoro, vir magnifice, præter alias  
maximas virtutes, quibus ſapientiffimo Princi-  
pi noſtro præſtò es, non tantum veritatem, eiuf-  
que ſtudioſos te diligere, ſed etiam ante omnia  
in bonis diſciplinis, in quibus iuuentus ad Remp.  
educatur, eam conſeruataſ velle. Præterea quia  
Gottingenſis ciuitas & pædagogium tibi non ſi-  
ne cauſa cordi eſt: non ingratum tibi fore exiſti-  
mo ſtudium meum, quo, quæ in eo oppido gli-  
ſcere



scere occœpit inscitiã seges, ex animis discen-  
tium euulsam cupio, atq; id solum ab omni ma-  
la herba liberatum quàm optimos & præstantis-  
simos fructus ferre. Quæ ratio est, cur tibi potis-  
simum hoc munus feram: quod, amabo, ea be-  
neuolentia accipe, qua me hætenus comple-  
cteris; &, quod egregiè facis, veras atque ab an-  
tiquis nobis traditas doctrinas à nouatoribus tue-  
ri, siue potius eas tuentibus fauere, ne desine:  
nec ab ea, quàm animo sine dubio infixisti, sen-  
tentia discede; præterquam enim quod id per se  
rectum est, ea re laudem sempiternam & incon-  
taminatam consequeris. Vale ex academia I V-  
LIA Anno clō lō iic.

*T. Mag. addictiss.*

*Cornelius Martinus Ant-  
uerpius.*



E I D E M.



Escende cælo, robore numinis

Armata diuo, Phæbe decus poli:

Et, quæ sepulta parte nostri

Damna breuis reparatis aui,

Vos ô beata Mnemosynes genus

Nymphæ recessus pandite Iulie:

Quos nectaris crepante lymphæ

Imbuit alueolus Deorum:

Maçtate porrò laudis adorea,

Sacrate tectum famæ adamantino

Thorace IAGMANNVM, ut eriones

Remigio feriat Camæna.

Sublime pectus, mens homine altior

Sortita famam militia ingeni,

Quacung, vitæ Phæbus auctor

Purpureos agitât iugales,

IAGMANNVS, aptus florilegam rudem

Peithus Themistosq, arma Polymnia,

Pictamq, laurum, & Hippocrenes

Restituit scatebris honorem:

Ceu dia sudi ros soboles poli,

Cum torret agros Seirius, irrigat,

Qua parte seuus æstus alma

Diuitias Cereris perussit:

Et litterarum rettulit vberes

Fruges, & artes Pallados, aureâ

Cyllenij virgâ reductâ,

At tacito reuocauit Orco.

Hoc Fama viuax temporis inuido

Non dente frangi, non tenebris sine

Pimpleæ submergi, sed æuo

Charta loquetur anus futuro.

IOANNES PEPARINVS.





Ta esse credo, mi Hoddae, veritatem vobis in differendo finem nequaquam proponi; nam etiamsi tu id sedulo dissimulares, quod tam ingenuè profiteris, nemo tamen futurus erat hac tua legens, & cum meis conferens, qui non libenter omni illa suspitione te liberaret, & testaretur tibi cum veritate nihil negotij esse: adeoq; nunquam te eius postulari posse, cui ad extremam usq; vesantam ineptio esse libeat potius, quam id, quod verum est, agnoscere & amplecti. Ego quoq; fateor, si tibi tuiq; similibus disputatoribus, aut, si ita mauultis, Logicis veritatem quari dixissem, res ipsa & tuum hoc scriptum me insigniter refellerent. Sed rogo Hoddae excusatum me habeas, libens enim concedo, si quid tu differendo veri consecutus fueris, id per Accidens, sicuti dicis, fieri: uti omnes ij, qui tua utuntur Logica, quod nec ipsum inficias eo. Mihi autem, de recto discursu & differendi ratione exacta loquenti, tu succensere non debuisti, quem illa non tangebant: neq; enim discurre rectè, neq; hanc rationem unquam didicisse videris. Quod ut verum esse tibi demonstrarem, surripiam tantillum temporis studijs meis, & quae tu isthic fortiter, ut par est credere, pro Ramo Martia bella gerens inter Tirones tuos propugnasti, ea ego tibi demonstrabo nugae esse, adeoq; iniuriam te facere ostendam multis bonis ingenijs, quibus errores propinas, ut ijs innutriti euadant mortalium infelicissimi. Primum vero non sum tibi iratus Hoddae, quod *Thef. 1.* In multis, qui bonum *Thef. 1.* Petrum Ramum dictatorum logicorum martyrem, plusquam vatiniano odio infectantur, non postremum esse dicas Cornelium Martinum: Non inquam aegre fero hac, licuit tibi hoc dicere, & licuit hoc modo, & hac elegantia orationis, & istis numeris: Ramum ego aequae tecum vidi, neutrum noui: odisse verò me hominem, cui cum sapientia bellum sit: qui summos homines quos omnis omnium doctorum consensus pro natura oculis venerata est. plusquam pueros esse censeat: qui Aristotelem, inquam, Aristotelisq; tot praclarissimos interpretes, id est, omnes Philosophos ad suam usq; aetatem flagellet: seq; non ijs tan-



rum praeferat, sed etiam Ciceronem & Quintilianum oratoriam doceat, Euclidem Geometriam, eum me odisse, inquam, neque nego, neque, ut aliter faciam, mihi persuadere possum; facile patior, si tu illum amas Hoddae, me, tibi sanctè polliceor, rivalem non es habiturus. Ergo id in limine factum habes, Bonum Petrum Ramum dictatorum logicorum martyrem non magni pendit Cornelius. Sed quia alibi crassam mihi ignorantiam obijcis, vellem mentireris, verum ita manifestè hic teneor miser, ut nullus unquam Deprehensus potuerit manifestius. Nam, mi Hoddae, quid sit dictatorum Logicorum martyrem, non intelligo, & quod putidius, multos consului græcè & Latinè doctos viros, qui nihilo hoc loco me sapientiores erant. Doce nos, quæso, tuam grammaticam & quid velis explicatius aliquanto trade. Censebam Martyres in Ecclesia appellari eos, qui sanguine suo testimonium perhibuissent Christo: & ita testem μαρτυρῶν Græcis dici noram: Sed quomodo dictatorum logicorum martyr sit Ramus, non mihi potest liquere; an dictatorum à dictatoribus, an à dictatis deducere oporteat: incertus sum. Nam utrumvis accipiam, ridiculus cum logicorum dictatorum martyre meus est HODDAEVUS.

Thef. 2. *Thef. 2. Aggrederis deinde primam meam thesin, & cum Aristotele loqui vis, αἰσῶ, λίαν μέγα αἰτήματα me αἰτεῖν, qui asseram th. 1. In P. Rami logica quod logicum sit quam minimum, quod verum, neque multum, neque id quod est fatis constanter traditum me invenire. Vellem tui honoris gratia relinqueres Aristotelem, quem quoties citatis vos, roties risum Peripateticis debetis: & alioquin Ramista frugi non est, nisi qui Aristotelem etsi non lectum, aut certe non intellectum, constanter, sine rubore, contemnere possit. Huius vestra legis neglecta, tu mihi iam pœnas dabis Hoddae. Quid enim est λίαν μέγα αἰτήματα Aristoteli? Si non intelligebas, oportuit te à Mathematicis discere, inter principia eorum esse postulata, quæ ipsi non probant, sed sibi dari postulant; eoque αἰτήματα sine postulata vocantur, unde λίαν μέγα αἰτήματα αἰτεῖν dicitur, qui pro concessio & indubitato id ponit, quod maximè debebat probare. At ego mi Hoddae primam meam thesin.*



thesin mihi concedi non postulo, sed cum vestris ingratis obtineo, & volente DEO obtinebo. Omnes enim reliqua theses & huius, & secunda, ut etiam reliquarum, quae sequentur disputationum probationes sunt prima thesis. Pauca in Ramo vera esse & ea quae sint, non satis constanter tradita. Quare noli posthac cum Aristotele ita loqui, & in uniuersum relinque Aristotelem, quem ex disciplina vestra non intellectum, gnauiter insectari debebas. Loquere potius cum Ramo, quod didicisse videris: Aristotelem vero, bonum factum, si vos Ramista non tangetis. Opponis deinde mihi tuam thesin: Ramum pra multis Thef. 3. dialecticis in eo sudasse ut dialecticam consummatam omnibusque numeris absolutam nobis relinqueret, &c. Credat Iudeus Apella, non ego. Sed quid si tamen mihi hoc tibi largiri libeat Hoddae, nihilo dirior a me discedas, sudauit Ramus, ut omnibus numeris perfectam logicen vobis relinqueret, Ergo id consecutus est? nihilo magis quam tu mea refutasti, qui tamen in eo admodum sudasse videris. Sudant multi, ut pro veritate suas ineptas nugas obrudant, puta Ramus & Ramista, neque tamen opinari debent, se id in quo sudarunt, assecutos esse. Non fiet, me vide Hoddae: nam etiam pueri nasum habere incipiunt. Sed perge quid deinde in thesib. meis culpas? Non recte a me reprehensum esse Ramum & eius sectatores Thef. 4. dicis: quia logicam extra mentis subiectum desiniant, artemque habitum mentis negent. Hoc uti demonstras, hunc syllogismum de meo formare vis:

Accidentia extra suum subiectum non subsistunt.

Thef. 5.

Ars est accidens mentis.

Ergo extra mentem non subsistit, & per consequens, logicam non tantum sed etiam ipsam artem animi habitum esse Ramus inepte negat.

Hec tu mihi tanquam de meo apponis, & syllogismum recte intellectum mihi concedis: cuius tamen liberalitatis te mox poenitet. thesi 10. 11. Ego nihilo minus gratias tibi memini Hoddae, quanquam nihil hoc opus erat, nam consecutaneum illud ex isto syllogismo, ad tuum hoc



*exemplum, ego non deduxeram; lege thesin secundam. Ea sic habet;*  
 Et primo quidem logicam quando dico ( neque enim de vo-  
 cabulis mihi contentio erit ) nihil, quod extra mentem fit,  
 intelligo, sed aliquid in mente, adeoque mentis habitum, qui  
 cum *ἐκ τῆς διόσεως* definiiri debeat, extra suum subiectum ut esse  
 non potest, sic neq; quæremus. *Hic tu si resoluendi rationem ob-*  
*serues, ita argumentaberis ex mea thesi, duplici syllogismo: Nihil quod*  
*ἐκ τῆς διόσεως* definiiri debet, extra suum subiectum aut esse aut defi-  
 niri potest. Omnis mentis habitus *ἐκ τῆς διόσεως* definiiri debet. Ergo  
 nullus mētis habitus aut esse extra subiectū aut extra illud definiiri po-  
 test. Erat ille prosyllogismus sequebatur deinde si rectè resoluisse prin-  
 cipalis: Nullus mētis habitus aut esse extra subiectū, vel extra illud de-  
 finiiri potest, Logica est mētis habitus, Ergo Logica extra mentem nec  
 esse nec definiiri potest. Ita tibi resoluenda erat mea thesis secunda,  
 mi Hoddae, quod ego minus commodè à te factum esse miror, qui to-  
 tum artificium vestrum in istis puerilibus resolutionibus collocare so-  
 leatis. Cum quatuor isti termini, Logica est habitus mentis, qui  
 cum *ἐκ τῆς διόσεως* definiiri debeat, extra mentem quæri non de-  
 bet &c. indicio erant, vno hic syllogismo nihil effici, quem verò tu  
 profers, is alter est in tertia thesi, qua tantum id directe efficitur  
 contra Beurhusium, logicam non esse extra mentem. Sed tamen vi-  
 deamus tuum quoq; syllogismum, quem sicuti dixi liberaliter nobis  
 Thef. 6. concesseras, nisi huius te mox pæniteret. Syllogismum rectè intel-  
 lectum, nobiscum (inquis) concedit Ramus. Sed quid an etiam  
 quod tu ex eo deducis consequens? loquere clarius: non enim te exau-  
 dimus Hoddae, mirabiliter certè te torquere videris, Ars (ais) in  
 mente eius, qui artis noticiam consecutus est, veluti accidens  
 in subiecto inhæret: Idem affirmamus de logica, quod enim  
 de genere verum est, illud etiam in specie: præterea qui secun-  
 dum artis notitiam aliquandiu se exercuit, & noua exempla  
 architectari didicit, non modo aliqualem & rudem artis no-  
 ticiam sed habitum sibi acquisiuisse creditur, quo respectu  
 ars



ars ab Aristotele definitur ἐξ ἰσχυρῶν μετὰ ἀληθῆς λόγῳ. *Quaero*  
*à te Hoddae an artem norit aliquam, qui secundum artis noticiam ali-*  
*quandiu se non exercuerit? hæc enim tu disiungis, ut in tua thesi est.*  
*Dic quaeso nobis, quid vobis Ramistis sit artem nosse? an tu dices*  
*puerum, qui adiectiuum & substantiuum coniungere nequeat, nihilo*  
*minus memoriter totam Grammaticam sciat, artem grammatices ha-*  
*berc? Non putabam tam ineptum te vel aliquem mortalium futurum*  
*esse, qui id fateri non erubesceret: nunc quid statuere debeam, nescire*  
*me fateor, ita video, sine rubore quaeris à vobis effutiri. Postquam*  
*enim semel classicum cecinit Ramus, & clientes suos ad ignorantiam*  
*tanquam ad pileum seruos vocauit, cumq; Aristotele, Cicerone, Eu-*  
*clide, Quinctiliano, omnes omnium aetatum doctissimos scriptores con-*  
*temnere docuit; tanta passim copia, tanta audacia & impudentia, tot*  
*monstra peperistis, ut nihil tam puerile, nihil sit tam absurdum, quod*  
*autoritatem à Rami sectatoribus sibi sperare non audeat; Testes sunt*  
*vestrae concertationes Logicae: vestrae Scriboniana Physica, Theo-*  
*logiae: Ethica &c. quibus contactu immundo ceu Harpyiae quæ-*  
*dam omnia fædatis. Sed hæc fortasse tu non libenter audis. Ad rem*  
*redeo. dic itaque, an qui Grammaticen, ut ea vel à Philippo tradita*  
*est, vel aliam aliquam tibi recitare possit, neq; tamen vniam Regulam*  
*intelligat, vel ad usum transferre queat, dic an tibi is grammaticæ*  
*artem scire dicetur? Quod si asseris, iterum rogo te, an si pica vel psit-*  
*tacus præcepta vestra logica, ut neq; magna sunt neq; difficilia, me-*  
*moriter recitare possit, confessuri sitis, logicam eum tenere, & fami-*  
*lie vestrae philosophicæ ascripturi? quod cum nuper mihi audacter*  
*vestrae cortis philosophus quidam affirmaret, misertum est iuuentutis,*  
*quæ tales præceptores expertura esset. Sed tu id facere non posse vide-*  
*ris, qui subiectum omnium artium, & per consequens (ut tu loqueris)*  
*etiam Logicæ facias mentem, qua carent & pica & psittaci: nisi forte*  
*an etiam hoc negaturi estis, quod non spero. Nam saltem exorari vos*  
*sinetis ut à natura humana manus abstineatis. Ergo etiam homo, quæ*  
*memoriæ commendauit non intellecta, ea in mente eius nondum sunt:*



est enim memoria istiusmodi (quod te medicum doctorem ignorare  
turpissimum sit) facultas animae sentientis propria, non intelligen-  
tis, nisi, ut Aristoteles loquitur, per accidens. Quam diu ergo pra-  
cepta illa dialectica memoria commēdata specie in mente non impres-  
serunt, artem nequaquam constituunt: si vero species menti sunt im-  
pressa, aut perfectè id, aut imperfectè: si illud, tum cognitio ea est  
ipse habitus, & rem vestram Ramisticam Peripateticis prodidistis: si  
hoc, dispositio tantum erit, res videlicet imperfecta, quae est in motu  
ad terminum, scilicet habitum, non vero terminus aut perfectio ipsa:  
qualem imperfectionem leges vestrae artifices nequaquam vobis conce-  
dunt. Quare vide quam absurdè verba illa posueris, quae paulo ante re-  
citabamus. Thes. 6. Ars enim in mente eius, qui artis noticiam  
iam consecutus est, veluti accidens subiecto inhæret. Præter-  
ea qui secundum artis noticiam aliquandiu se exercuit, & no-  
ua exempla architectari didicit, non modo aliqualem & ru-  
dem artis noticiam sibi acquisivisse creditur. Disce vel hac æ-  
tate ordinem intelligendi, magne doctor, & desine, gradum tuum &  
inclytam medicinae lauream tam puerilib. nugis deformare: Quando  
enim ars in mente eius est, qui artis noticiam iam consecutus est,  
perfectè in mente est, non vero imperfectè, & diminutè; male enim a-  
liquin ars ea in mente esse dicitur, quae parte sui manca sit: male artis  
noticiam consecutus perhibebitur, qui eam aliqua adhuc parte igno-  
ret. Ignorat verò partim, qui aliqualem tantum habet, & rudem eius  
cognitionem. Quorsum ergo isthac quae sequuntur verba: præterea  
qui secundum artis noticiam aliquandiu se exercuit, & nova  
exempla architectari didicit, non modo aliqualem & rudem ar-  
tis noticiam, sed habitum sibi acquisivisse videtur. Aequiorem  
sane agnoscere possetis veritatem, quam meremini, quae inuitis vobis  
tamen se ostendere velit. Audi Hoddae; si rudis est, & aliqualis tan-  
tum artis cognitio, ea perfici debet, dum fiat perfectæ & totalis. Istitis  
igitur tuis architectationibus ipsa ars perficitur, non aliud aliquid  
diversum ab arte, sed ipsa inquam ars, quam tu fateris rudem esse, &  
aliqua-



aliqualem tantum in mente; atq; tum demum secundum illam artem  
iam perfectam & integram verè diceris artifex: eaq; est ipsissimus  
habitus artificialis, de quo nos agimus. Pone, si vir es Hoddæ, mihi  
perfectam artem in mente hominis, & ostende habitum illius artis re-  
aliter ab illa diuersum in eadem mente: quod si feceris, eadem opera  
poteris ostendere ab homine realiter differre animal rationale. Debu-  
eras tu mea argumenta rectius examinare, ijsq; respondere, quod non  
facis. Statuebam ego artem esse accidens, & tale accidens, quod ex  
περὶ τῆς τέχνης definiri deberet, hoc verum non esse tibi demonstrandum  
erat, & aliud aliquod πρῶτον δεικνύον illius accidentis tibi inuestigan-  
dum, vidisses quam turpiter tu, qui logicus perhiberi, qui Physicus, qui  
medicus, & quidem omnium istorum Doctor, in principia omnium  
istorum impingas. Nam quod 7. 8. 9. thesi de materia & forma tua Th. 7. 8. 9  
artis blateras, Ramistarum gerra sunt Sicula, λέγοι λέγων. si materiam  
proprie sumas, non habet talem: neq; enim corpus est quod constat ex  
materia & forma, sed sicuti omnibus accidentibus subiectum loco ma-  
teriae tribuitur, ita & arti suum potest. Deinde quia & obiectum no-  
mine materiae venit, rectè etiam cuiq; arti suam materiam ea signifi-  
catione assignabis; artes enim, quæ reuera artes sunt, efficiunt ali-  
quid, ad quod requiritur materia, ut sutor non sicut calceum nisi ex a-  
liqua materia, neque faber domum, nisi ex aliqua materia, ob quam  
causam ab Aristotele dicitur, ἔστι ποιητικὴ μετὰ ἀληθῆς λόγῃ: non ve-  
rò ob eam, quam tu affers: quam, doce nos, sodes, ubi apud Aristote-  
lem legeris, aut in vlllo interprete inueneris. Porro de tuis illis Catho-  
licis enunciationibus scire debuisti, tu presertim, eas extra mentem  
siue in libris descriptæ sint, siue voce proferantur, siue auditus sensu  
percipiantur, nihil aliud esse, quam signa quedam & notas conceptu-  
um mentis istius hominis, à quo profectæ sunt: literas quidem vocum,  
voces autem conceptuum: signa vero & signata cum idem esse non  
possint, neq; ars erunt istæ enunciationes, neq; artis particula vel mi-  
nima: quum eo nihil insulsius à quoquam excogitari possit. adeo  
ut ne quidem à phantasia apprehensa, à memoria custodita, quem-  
admo-



admodum supra diximus, ars sint, aut artis aliquid constituent: nisi  
 etiam brutis tuam artem concedere velis, quæ fortean logicen ve-  
 stram memoria mandare possint. Simulatq; verò ille intellectum mo-  
 vere occipiunt, ut intelligantur, & species menti imprimunt confor-  
 mes ijs, quæ in mente illius sunt, à qua notæ hæc proficiuntur, sicuti  
 iam ostendimus, primò dispositionem deinde habitum causant, qui si  
 effectivus sit recta cum ratione, ars & est, & vocatur. Unde etiam va-  
 nitas & 7. tuæ thesisi & 8. nec non etiam 9. manifesta est. Debuisse  
 autem meminisse, quod secunda thesi mihi obieceras, *λίαν μέγος ἀντιμα  
 με ἀί.* Hoc enim tu sane hic facis th. 8. qui sine omni probatione  
 falsam minorem ponas, neq; tantū falsam, sed etiā contradictoriam in  
 adiecto, cum dicas: artē secundum suam essentiā percepta artis  
 cognitione priorem esse: quasi dicas hominem esse priusquam sit  
 animal rationale. Suavis vero Sophista es, qui 9. thesi artis defini-  
 tionem ex Luciano descriptam pro Aristotelica nobis obtrudere con-  
 ris: non dicam nullum habere verum genus, non veram differenti-  
 am specificam, quod ex superioribus manifestum est: hoc aio, te ipsis  
 quoq; illius definitionis auctorib. illudere. Scripserat Lucianus: τέχνη  
 ἐστὶ συστηματικὴ ἐγκαταλήψεων ἐγγυμνασμένων πρὸς τὸ τέλος ἔυχρηστον τῶν  
 ἐν βίῳ. Ars est ordo certarum propositionum exercitatione perceptarum  
 ad finem in vita utilem. Quare tu fraudem facis definitioni, & par-  
 ticulam ἐγγυμνασμάτων omittis: nimirum quod hæc te nugacitatis  
 conuincit, qui exercitationem post cognitionem introducas: cum Lu-  
 cianus dicat precedere, adeoq; ea artem acquiri, quod supra & nos o-  
 stendebamus. Sorices videre, quomodo vestro iudicio pereatis: si enim  
 id, quod crebris exercitationibus acquiritur, tibi est habitus; Lucia-  
 nus verò, cuius tu definitionem citas, dicat artem acquiri crebris acti-  
 Th. 10. onibus. Ars ergo Luciano erit habitus. Sed perge ad 10. tuam  
 thesin syllogismum vere Ramæum: per id, quod fortuiti esteuen-  
 tus, ars definiri non debet. Sed artem ab hominibus mente  
 intelligentiaque comprehendi, eiusque habitum comparari,  
 est fortuiti euentus, ergo.

Cor



Cor Zenodoti! Quis neget meis Ramistis esse acumen? Fortuito  
 igitur, ut ego audio, arti accidit, ut ab hominibus mente & intelli-  
 gentia comprehendatur, at ego ei essentielle putavi esse. Dic sodes mi  
 homo, si illud subiectum ei fortuitum est & per accidens, quodnam  
 sit subiectum illius per se? An vero quæ vestra est Philosophia ita for-  
 tuitam statuis artem, ut nullum certum subiectum ei assignare possi-  
 ris? nimirum solet veritas contemptus sui pœnas expetere. Fortuna &  
 fortuitum quid sit, si ex Aristotelis 2. lib. Acroas. didicisset noster  
 Hoddeus, non hic risum solueret peripateticis. Iam antea tibi de na-  
 tura anime non multum constare docuisti: hic neq; Acroasin Aristo-  
 telis te legisse ostendis. At medice, an hoc ad exemplum Galeni, qui  
 bonum medicum neminem agnoscit, nisi eundem philosophum? Scire  
 itaq; debes, quæ fortuito fiunt, ea fieri præter intentionem agentis, eaq;  
 talis causa est per accidens, quæ neq; semper, neq; ut plurimum fit. Vti  
 si fodiens thesaurum reperiat, fiat illud præter intentionem agentis,  
 neq; enim destinarat ille thesaurum. Ergo dixit Aristoteles ὁ θεὸς δὲ καὶ  
 ἡ τύχη ἔστιν ἀόριστος εἶναι, καὶ ἀδύνατον ἀνθρώποις. Enimvero Hoddeæ malam  
 spem studiorū facias ijs, qui noctes & dies laborant, ut doctiores fiant,  
 si tale aliquid fortuitum scientiam esse, illis persuadere possis: & gra-  
 tias tibi debeant, qui nihil minus agunt, quam ut litteris operam dent,  
 cum te autore nec ipsi animum abijcere debeant. Quis enim scit, hæc  
 fortuna, cui tu arbitrium eruditionis permisisti, fortassis sit his secun-  
 dior quã superioribus, ut ut illi libris immoriantur & amore discendi  
 senescant. Non hic leuiter tibi ipsi succensere debes Hoddeæ, qui hæc tã  
 absurda in oculis & conspectu omnium ponere ausus fuisti. Sed quid  
 dicam de thesi II. nemo enim etsi sint homines minus idonei Th. II.  
 ad artes capeffendas, ideo earum naturas excidisse & ad ini-  
 tium recidisse arbitrabitur, inquis. Dic mihi Hoddeæ. Si nullus  
 sit homo capax artis, & per consequens in nulla hominis mente ars, ubi  
 tuæ artes habitabunt? an apud ideas Platonicas? vel in Utopia simul  
 cum vestra philosophia? ut si nullus sit sutor in rerum natura, ubi erit  
 ars sutoria? & antequam primus nasceretur typographus ubi obam-  
 bula-

C

bula-



*bulabat ars typographica? Explica hoc nobis sodes Clarissime Dn. Do-*  
*ctor: quod nisi facies, memento, quàm illiberaliter hic mihi eripias,*  
*quod 6. thesi concesseris: artem esse in mente. Nam si nullus homo a-*  
*ptus est ad discendum, nullius quoque mens arte aliqua aut scientia erit*  
*instructa, & per consequens ars in mente non erit. Ita tu quod altera*  
 Thef. 12 *manu mihi dedisti, altera eripis. Thesi 12. eandem responsionem*  
*ad scientiam accommodas. In pari causa (ais) ius compar esse*  
*solet. Sunt enim ars & scientia per omnia sibi similes, teste*  
*Aristotele. At Hoddae abstine manus ab eo, qui vobis omnino relin-*  
*quendus est aut graviter insectandus. Nam quod ex Aristotele 2.*  
*Elench. capite ultim: Rhet. cap. 1. & 2. Metaph. & ult. c. 2. post:*  
*citas; ad hoc Aristoteles omnibus suis lib. clamat, sibi id per calumni-*  
*am aut ignorantiam imponi, neque vlllo illorum locorum eius meminisse,*  
*Imo 2. Metap. text. 3. manifesto se distinguere, Sicuti & ultimo 2. post:*  
*quod caput tu Hoddae cum citabas, debuisti inspicere, non alteri ali-*  
*cui Ramiste tuam fidem committere. Ait ergo ibi de Principijs loquens*  
*ex ipsa inquam experientia proficiscuntur omnis artis & sci-*  
*entiae principia: artis quidem si ad eas res pertineant, quae*  
*oriuntur & occidunt: scientiae autem, si ad ea, quae eadem*  
*semper sine vlla mutatione manent. Idem alijs verbis statim po-*  
*stea repetit &c. qua igitur tu fronte audes impingere Aristoteli eam*  
*opinionem, quae ipsi in mentem non venit, imo cuius contrarium planis*  
*verbis ijs ipsis locis quos tu citas docet? Si utrum doctus an indoctus*  
*habearis, nihil tu aestimas, saltem patere, nos bene de integritate tua*  
*opinari: & imposterum aperi ipsum Aristotelem, quando eum citare*  
*voles, ne qui nesciant id à tua ignorantia proficisci, suspicentur te pa-*  
*rum candidè agere. Sed perge sodes nugari, quia aures nostras tibi*  
 Thef. 13 *dare cogimur: asseris thes. 13. generale nimis subiectum me Lo-*  
*gica tribuere, quo omnes artes dicendi participant, idque explicas*  
 Thef. 14 *thesi 14. Quia reliquae artes dicendi similiter secundas notio-*  
*nes cognitionis & veritatis causa habeant & reb. imponant.*  
*Ita doctore nostro Hoddeo discimus iam grammaticam tale esse in-*  
*strumen-*



strumentum, quo veritas in rebus ipsis cognoscatur, & per consequens  
neq; metamorphosis Ouidij neq; vera Historia Luciani, neq; theses mei  
Hoddei grammaticè scriptæ erunt, quia pauca in ijs sunt vera, omnia  
penè falsa. Monstra mi Clarissime doctor, quenam instrumenta ad ve-  
ritatem incognitam eruendam tradat vel grammaticus, vel Rhetor:  
putabas tu satis esse, si hac diceres ignarus forte, non ea apud nos esse te  
autoritate, qua apud te ipsum, ut nudis tuis verbis credamus. Quod  
etiam thesi 13. ita sapientiam tuam monstras, ut neges subiectum  
& finem unquam in arte docere, quomodo præcepta informanda sint;  
facis ut soles, utiq; te decet: neq; enim veritas cum semel excidit, cu-  
rat reponi deterioribus. At Galenus tuus vel qui tuus esse debebat. lib.  
de Const. Med. artis Cap. 1. dicebat, omnis artis constitutionem  
à finis notione effici cap. 20. Institutum enim est non fu-  
sa explicatione de partibus medicinæ omnibus disceptare,  
verum quo pacto à finis notione, ut aliarum quæuis ar-  
tium, sic & huius constitutio fiat: verum dic tu mihi medice, qui  
medicinæ artem formet; debeatne omnia sua ita ad finem videlicet  
sanitatē dirigere, ut si aliquid præceptum eo non spectet, nullius id in  
medicina momenti habeatur? Quod si negas, ut postea negas, tum tu  
inclutum medicorum decus, egregiam tuis laudem concinnas, quibus  
aliud quàm sanitatem ægrorum cordi esse dicas. Expedi sodes, quare  
non iubeat artifex sutorem forcipe uti, & fornace in calceis conficien-  
dis è corio, quod videlicet non talis sit materia, siue eiusmodi subie-  
ctum sutoris? quare vero non iuberis curru mare ingredi? cur magis  
polum magnetis obseruare artifices volunt, quam vrsam maiorem? ni-  
mirum illud propter hunc finem, ut eò commodius quo tendunt, perue-  
niat. Hæc quando negatis, nonne vos omnes humane actiones confu-  
tare cernitis? & bellum naturæ vestræ infertis? Adeoq; ut ad vos quoq;  
veniam, quando bene differere finem logicæ statuitis, nonne vultis o-  
mnia præcepta vestra eò legitima esse, quia ad finem illum consequen-  
dum faciant? finis igitur magne doctor cum subiecto docet, quomodo  
præcepta in arte conformari debeant. Septimam autem thesin meam



Soluis per quasi vero: quem ego modum ante ignoravi. quare mihi ibi-  
dem fortasse merito obijci crassam ignorantiam, tamen quid ait?  
quasi verò, inquit, Is, scilicet Ramus subiecti nec finis dialecticæ  
in artis suæ reformatione rationem habuerit, & confusionem  
primarum & secundarum notionum pepererit. Subiectum & fi-  
nem logicæ ignorasse Ramum, docent mea theses: quibus refutandis tu  
in hac disciplina plusquam puer, vides, quemadmodum nequaquam  
par sis: de confusione primarum & secundarum notionum docebit te  
secunda nostra disputatio, quam consule. saltem hanc mihi debebis  
gratiam, quod ex ea discas, quæ sint prima, quæ secundæ intentionis:  
neq; enim intelligis eas, ut apparet, neq; intellexit Ramus: quamquam  
infra aliquid de ijs dicere habeo, ubi manifeste ostendis nunquam te  
differentiam primarum & secundarum notionum percepisse. Quid  
vero deinde affers? opponis talem thesin: Is maximè verum subie-  
ctum dialecticæ verumque finem intelligit, qui Dialecticam,  
cuius vsus olim ad futiles & inutiles Scholasticorum disputa-  
tiones restrictus intra priuatos scholarum parietes contine-  
batur, è tenebris in lucem &c. Neq; enim omnia illa barda hic re-  
ferre libet. At hoc fecit Ramus &c. Ergo: Posthac siles, & cum  
tibi probanda esset Minor, quæ falsissima est, taces. At tantum abest,  
ut ille id prestiterit, Hoddae, ut contra veritatis acerrimus hostis in-  
strumentum eius nobis suffurari sit conatus: ut nescio quod informe  
idolon pro tanta Dea nobis obtruderet: quò pueri in Scholis versus  
Virgilij aut Horatij aliquot peius excarnificarent, ipsiq; preceptores  
pueris ineptiores etatem tererent, dum ineptissima illa argumenta in  
particulis enunciationum querunt, de scientia & veritatis instru-  
mento securi. Caterum impudens es Hoddae, qui futiles & inutiles  
Scholasticorum disputationes voces, quorù tu asine si iuratus examine-  
ris, confiteri necessum habeas, nullum te legisse. Sunt illi excellentes phi-  
losophi (nam de theologia illorum nihil dico) quorum minimus tanto te  
& tota tua gente Ramistica excellentior est logicus, quanto aurum  
splendidius & pretiosius est luto: & cum hoc insolentissimè facis, Rami-  
stis



stis tamen non est insolens, qui pueri plerique, qualem etiam te esse moribus istis probas, oppedere audent toti antiquitati. quam confidentiam, cum video & lego, non dicam dolo, ceu pestes & carcinomata omnis eruditionis vos execror. Nihilominus autem hoc in te laudo Hoddae, quod Zabarellam thesi 17. principem philosophorum esse confiteris, quoque ea modestia in vobis rarior est, eo mihi accidit gratior. Utinam vero tu illius vestigijs insistendo, re ipsa potius quam verbis ostenderes verè te id & ex animo loqui. Si enim Zabarellam tantum fateris Philosophum, non potes amare Ramum: si hunc magnificas, nequaquam tibi philosophus erit Zabarella, quem scis omnem suam in demonstratiui syllogismi explicatione operam posuisse: cum tamen istiusmodi aliquem dari posse neget Ramus. Modestius quoque, quam alij quidam, quos nihil pudet, amplecteris ambabus ut dicis vlnis, id, quod ex Zabarella traditum à me erat: vnam & eandem rem diuersis artibus & scientijs subijci non esse absurdum, si tantum diuersus tractationis modus sit: quanquam in exemplo tuo admodum inepte loqueris, quod ne nimium tibi durus videar, praeterea, dummodo de re mihi tecum non sit controuersia. Hic igitur tu pedem figere debuisti, & cominus mecum congregi, si pro Ramo Martia bella gerere volebas. Argumentum vero meum erat: Quod cum logica consideret res omnes, Metaphysica consideret res omnes, & denique à singulis artibus & scientijs, omnes res considerentur; nisi tu modum considerandi logica attribuas, qui subiectum eius à reliquarum scientiarum subiectis seiungat, nugas te agere & logici officio nequaquam fungi. hic tu Metaphysicam oppugnare aggredieris, regina videlicet scientiarum bellum inferens: sed Ramisticum sine vulnere sine dolore & cum magno eius risu, de quo iam dicemus. Nunc semota parumper Metaphysica, redeo ad meum argumentum. Res omnes logice subiectum sunt: eadem particularib. scientijs & artibus substant: nam id mihi non negas. quero qua ratione illi, qua vero his, substerantur; Modum inquam considerationis logicum te posco, quid tu hic filebas? quin respondebas Hoddae? corpus naturale, animatum, sentiens



tiens homo, bos, leo, Physica subiiciuntur eadem omnia logica: querebam ergo, quid physicus in hisce rebus consideraret qua est physicus: quid logicus qua est logicus, idemne an diuersum? id tibi explicandum fuerat nos eatenus à logica ea: considerari dicimus quatenus secundis notionibus substernuntur: hoc est, nihil in illis reale ostendere logicum, neque enim res ille tradit, animal quid sit, quæ eius proprietates &c. an sentiat, an vegetetur, an sit corpus & quæ sunt eius generis, à physico querere debes, non vero à logico proprie: At quatenus animal genus est, aut species, subiectum, vel prædicatum. Maior Minor Medius terminus &c. Hæc intentionaliter illi conueniunt, & Logica sunt considerationis: quæ tibi rectè & copiosè satis inibi explicata si non intellexisti Hodæe, parum sane dignus videre, qui nomen tuum in logicis profitearis. Repetij autem hæc propterea, ut si qui theses meas non legerint, quam miserabiliter pugnes intelligant. Sed age ad Metaphysicam, Ramus (inquis) non agnoscit Metaphysicam, Ergo eam quæ non est, cum logica confundere non potuit. Non cognouisse vix mihi sit verisimile. Sophista autem intelligens salua Metaphysica non posse subsistere nugæ suas, quod Metaphysicæ studiosis continuo prodantur, callidè tentauit eam subuertere. Esto tamen, non cognouerit Ramus Metaphysicam, an propterea non est? Nimis quidem tu illepide phylosopharis, si quidem propter Rami ignorantiam multis nobis præstantissimis rebus & doctrinis carendum foret: At ego Hodæe, quò tu tuiq; similes eam facilius cognosceretis, eam vobis depinxeram, quæ tu quoq; ut cætera maximi momenti te vidisse dissimulas. Nugæ tamen porrò & partim logica, partim physica, partim Theologica in ijs tradi asseris, quæ singula suis scientijs restituenda esse. Verum ut supra quoque nihil demonstras: ad Scholas Rami prouocas, omnium Sophismatum & calumniarum fentinam, ut vere alicubi Pacius asserit: ita inopes estis pleriq; ab omni solida eruditione, ut quasi columbæ pulli in ore Rami tantum sitis: nihil nisi putidam eius saliuam lingatis. Quare etiam in sequenti Plutarchi testimonio præfationi Scholarum Metaphysicarum Rami, credere maluisti, quam ipsum  
Plutar-



Plutarchum interrogare, quem tu citas ἀληθῶς γὰρ ἢ μετὰ τὰ Φυσικὰ  
 πραγματεία πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν ἔδεν ἔχουσι χρήσιμοι. Re-  
 uera Metaphysica tractatio ad docendum & discendum nihil  
 utilitatis habet, quae totidem verbis ex praefatione illa descripsisti  
 quater ineptus: primum quod neque sequentia neque antecedentia consi-  
 derasti, ut quomodo haec dicerentur attenderes: Secundo quod ea quae  
 de Aristotelis volumine ibi dicuntur tu ad uniuersam scientiam tra-  
 xisti: Tertio quod ne quidem grammatices tuae rationem habuisti.  
 ἔχουσι enim exponis cum Ramo, habet. At dic mihi, est ne ἔχουσι ver-  
 bum indic. tertiae personae? quaeso interroga puerum aliquem ludi  
 isthic literarij, non dubito quin te doctorem rectius docturus sit, nobis  
 certe participium est & non habet, sed habens significat. Ad iam  
 Plutarchum, & ab eo quere, quid de Metaphysicis dicat, ita responde-  
 bit: succensuisse Aristoteli Alexandrum propter edita scripta hac  
 magnanima sententia literas suas claudens: ἐγὼ δὲ βελτίμεν ἂν ταῖς  
 πρὸς τὰ ἀριστὰ ἐμπειρίας, ἢ δυνάμει διαφέρειν: malim ego optimarum  
 rerum scientia quam potentia, reliquis praestare. τὰυτὴν μὲν ἔν τῆν φι-  
 λοσοφίαν αὐτῷ inquit Plutarchus παραμυθεμεν & Ἀριστοτέλης ἀπολο-  
 γεῖται πρὸς τῶν λόγων ἐκείνων ὡς ἐκδεδουμένων, καὶ μὴ ἐκδεδουμένων hanc  
 eius ambitionem ut leniret Aristoteles excusat se de ijs disputationi-  
 bus indicans, ita editas esse, atque si editae non essent. sequitur iam ἀλη-  
 θῶς γὰρ ἢ μετὰ τὰ Φυσικὰ πραγματεία πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν  
 ἔδεν ἔχουσι χρήσιμοι, ὑπόδειγμα τοῖς πεπαιδευμένοις ἀπαρχῆς γέγρα-  
 πται. Redeundum denuo mihi esse videtur cum hoc magno doctore ad  
 Scholas puerorū: dic sodes Hoddae; non enim ausim te hic doctoris ti-  
 tulo compellare Φυσικὰ πραγματεία unde regitur? si dixeris ab  
 ἔχουσι, sicuti supra exposuisti: Audacem te esse oportet mortalem, qui  
 in tam puerili peccato non metuas ferulas grammaticorum. Quar-  
 tum est igitur, non tantum logico indignum, sed etiam, nisi impru-  
 dens & non inspecto codice fecisses, viro bono: quod verba illa ὑπόδει-  
 γμα τοῖς πεπαιδευμένοις ἀπαρχῆς γέγραπται, omisisti, & ita sententi-  
 am hoc dolo, ut alijs videretur, affingis Plutarcho, quam is nunquam  
 somnia.



*somniauit, Logica certè te vapulare iubebit, qui totum predicatum  
omiseris: in tota enim superiore illa enūciatione, ἀληθῶς γὰρ ἢ μετὰ ἔ. c.  
hæc pars ἀληθῶς γὰρ ἢ μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματεία πρὸς διδασκαλίαν ἢ  
μάθησιν ἔδειν ἔχουσι χεῖρισμον, Subiectum est. Παράδειγμα τοῖς περὶ  
δευτέρου ἀπὸρχης γέγραπται, Predicatum: Tota autem enunciatio  
hæc est. Reuera enim Metaphysicæ tractatio ad doctrinam &  
disciplinam nihil utilitatis habens, primum exempli loco  
proposita est eruditio. Vbi tantum abest, ut damnetur omnis Meta-  
physica tractatio, ut eruditi inuitentur ad exactius aliquid in hoc ge-  
nere inueniendum. quod totum cum omittis monstrum enunciationis  
horrendum, informe, ingens cui lumē ademptū, nobis obtrudis. Quare  
Hodæe impostorum noli credere Ramo tuo, explica librum, quoties ci-  
tare quid voles; neq; enim alius æque impudenter scriptorum autori-  
tatis abutitur. Præterea cum Ramo consentire dicis Andream Li-  
bauium: fortasse. sed ego putabam mihi Theophrastos citares Alexan-  
dros, Philoponos, Psellos, Auerroes, Auicennas, Albertos, cum Thoma  
& Scoto Bessariones, Flaminios, Contarenos, quorum immortales, in  
hanc Philosophiæ partem exstant vigilia. Ut reliquos præteream, quo-  
rum & forte nomina fando non accepistis, quiq; tibi indocti fuerunt,  
& ut loquebaris futiles & inutiles disputatores. Mones me deinde  
sententiæ Galeni, quam ille ex Aristotele citat: Necessum est prius  
constare & tanquam compertum habere, quod res ita se ha-  
beat (an sit Metaphysica) postea vero inquirere propter quam  
causam ita habeat ἔ. c. utinam vero tu qui Medicus es & Doctor  
Galenum tuum diligentius legeres, quot ille modis Thessalum, qui in  
Ramo renatus est, exsecretur! desineres ineptiarū, & ad veram Philo-  
sophiam redires: qui tibi lib. 2. de Placitis Hippocr. & Platonis demon-  
strationem commendat, quam tu si didicisses, neutiquam tam ineprè  
subiecta suis scientijs assignares. Hortati sumus, inquit, ut in de-  
monstratione exercent se vnusquisque, cui ad aliquid intelli-  
gendum animus inclinēt. De qua quidem demonstratione à  
veteribus Philosophis Theophrasto & Aristotele in duobus  
postea*



posteriorum libris scriptum esse affirmare se ait. Hanc te Hoddae melius erat sequi, & discere ea quae ad veram scientiam faciunt, quam puerilibus kami nugis inherere. Disputas hic de Metaph. & logica subiecto, uti pugnare antabare solent, caeci caecis iocibus. Vide thesin 22. 23. 24. 25. Quid praeter agrorum somnia tibi dicent. Negas esse ullam Metaphysicam, idque me probare debuisse contendis, priusquam stauerem Ens qua Ens eius esse subiectum. Conspicillu accipe & lege 13. meam thesin 14. 15. 22. 23. 24. 32. 33. & 36. In quibus omnibus vobis inuitis extorquetur, aliam esse scientiam realem, quae Ens considerat qua est Ens, quam Peripatetici Metaphysicam nominant, ut habent ipsissima verba theseos 36. quae si non legisti profecto dormitasti Hoddae; quare excitator redi ad theses illas & ijs responde. Sed ne nimirum opere sumas etiam hic idem repetamus. Aut logica considerat Ens qua est Ens, aut non considerat: si illud, iam realis fiet scientia, quae res tractet: Ens enim & res conuertuntur. Deinde, quia tibi particula qua est ἐξουσιαν & καθ' αὐτο (in quo etiam mi logice eleganter ostendis quantus sis logicus. Demonstrationem discere & videbis non esse ἐξουσιαν & καθ' αὐτο sed καθόλου multa enim dicuntur per se quae hanc necessitatem non recipiunt: homo est animal, enuntiatio est per se, non tamen homo qua est homo est animal, sed qua sentit. esto tamen hac particula ἐξουσιαν & καθ' αὐτο.) Ergo quicquid Enti non conuenit qua est Ens, ex lege vestra καθ' αὐτο è logicis eijciendum est. argumentorum ergo doctrina, enunciationis, syllogismi, methodi, quia Enti non conueniunt neque tribuuntur quatenus est Ens, etiam te inuito iudice è logicis eijcienda erit: & Ens ex lege vestrae methodi definiendum vel describendum primo, deinde partiendum, propriae eius affectiones assignande: perieritque vobis logica, praeter Ramum te quoque ius dicente. Quod si absurdè fiat, & altera potius disiunctivae pars vera est: primum falsum dixit Ramus, qui Ens qua est Ens subiectum esse Logica dicat: deinde aliam aliquam fateantur necessum est scientiam, quae Ens quatenus est Ens consideret, eiusque proprias affectiones & species assignet, quam nos Metaphysicam dicimus. Hae ita tibi ruisque in meis the-

D

sibus



sibus obiecta, quia te reliquis fortiorem existimasti. & in arenam prius descendis, oppugnare debuisti: cum in eo tota sit sita questio, idq; ego vobis ut inexpugnabile obijcerem, & quoq; nunc obijcio: sed tu hic, duas mihi theses opponis, quas mehercules libitum est ascribere. 23. Nec est, quod ipsam reduplicatiuam, qua Ens tantopere vrgeat, scimus illam particulam esse ἐξ ἡμῶν ἢ καὶ ἀπὸ determinationem ei cui additur præfigere (quod tamen socij tui, Ramista hic nostri, pleno ore negant, qui vident, si id concedatur, rucere Rami logicen, sed ea est vestra concordia mihi non noua: tu perge) & ab Aristotele addi solere, cum rei plures possunt conuenire rationes accidentales: vt motus est corporis mobilis affectio, non quatenus corpus, nec quatenus album aut nigrum, sed quatenus mobile, imo physice quatenus naturale. Ideo autem Ramus Ens qua Ens (Aristotelis termino retento, subiectum logicę statuit, & id Aristotelis autoritate confirmat, vt lector intelligat, quæ Aristoteli sunt communitates Metaphysicæ, eas esse Ramo logicas, quod si ita est, nihil est cur Ramus Ens qua Ens logicæ subiectum dicere non debuerit? Recte addidisti, quod si ita est, nam ego ad syllogismum meum reuertor, & ostendo ita non esse, adeoq; pueriliter te à Ramo deceptum esse: si enim particula qua ἐξ ἡμῶν ἢ καὶ ἀπὸ reijcit omnia illa ex logicis, quæ ei non conueniunt qua Ens. Igitur argumentum, enunciatio, syllogismus ad logicam non pertinent, quia enti qua Ens est non conueniunt. & communitates illæ Metaphysicæ in logicis tantum tradi debent, logicæ quæ nunc traduntur, eijci. Quid hic siles Hoddæ, quid Th. 25. mustitas? sed dic mihi bona fide, cum 25. Thesin scriberes an tunc febricitasti? Ita enim videris & quidem grauiter: cum mente tam vehementer motus fueris: vulgo (inquis) per ὅν qua ὅν intelligunt id quod absq; motu, materia, & accidentib; consideratur. Atqui hoc est nihil aliud quàm forma. Euge doctorum maxime; forma autem cum sit Logicæ considerationis, quare non erit Ens qua Ens eiusdem considerationis. Factum habes, nimirum

ito



ita nos doces, cum Ramus dicat, & tu cum Ramo: Ens qua Ens esse sub-  
iectum logica: illud autem Ens qua Ens tibi sit ipsa forma, formam  
esse subiectum logica: Ergo ut sunt rerum vicissitudines, levi mo-  
mento, Ens & non Ens è subiecti logica regno exacta vacuam sedem  
reliquerunt forma. At scin' quid ego tibi autor sim medice? ut AEscu-  
lapiο sacrifices, & gallum voueas, priusquam helleborum potare cog-  
ris aliquot viginti dies, ut ille inquit, ita agrorum somnijs similia di-  
cis. Ain' tandē, forma est subiectum logica, clarissime domine doctor?  
& in qua in intelligitur, quod absq; motu & materia & Acci-  
dentibus consideratur, idq; tibi deinde forma est? quis te id do-  
cuit? à motu & materia abstrahit mathematicus, ut in Metaphysicis  
passim ostendit Philosophus. Ab Accidentibus verò quenam scientia  
abstrahit suum subiectum? nimirum quia Galenum tuum secutus non  
es, qui iusserat te posteriora Analytica Aristotelis discere, si aliquid  
intelligere tibi cordi esset, etiam hic turpiter peccas; scires aliàs,  
quenam essent partes scientiæ, neq; ea abstraheres, quæ tibi abstra-  
henda non erant. Quæ autem de forma nugaris, quàm & ipsa à male  
sano cerebro, unde hæc monstra vobis prodeunt, proficiuntur? Ens  
qua Ens esse formam, ipsa quoq; prolatione ridiculum est. Deinde for-  
mam esse logicæ considerationis, ostendit, quam sis versatus in ijs, quæ  
in philosophia sunt prima. Dic mihi, forma estne reale aliquid? puto,  
non negabis: nam formam definitis, à qua res est. Realia igitur tradi-  
tis in logicis? Atqui id absurdum est, si primario fiat: & vestri ne-  
gant se facere. Quomodo igitur forma logicæ erit considerationis?  
pone tu id laboris, quod hisce meis disputationibus refutandis tibi in-  
sumendum est, in ediscendis Metaphysicis. Crede mihi & tibi & fame  
tua rectius & melius consulueris: Vbi & intelliges, quare nobilissima  
de intelligentijs doctrina in Metaphysicis tradatur, quod 26. thesi que Th. 26.  
ris. Quomodo vero loci à realibus notionibus desumpti ad logicen spe-  
ctent, secunda disputatio nostra luculentissimè tibi exposuit, quam  
adi. Thesisibus aliquot sequentibus nondum excussisti mortuum, sed ne Th. 27.  
scio quid insuper ei accessit. Dixeram sibi non constare Ramum, qui 28. 29.



*in Scholis, Ens qua Ens statuat subiectum logices: in Dialecticis argumentum. Nullam hic inconstantiam siue contradictionem te videre ais. Nihil miror, si parum vider, qui cæcus est; tolle nihilominus, si potes, ophthalmiam, poteris enim medicus existens, tum ut opinor videbis, Ens qua Ens, & argumentum toto cælo, quod aiunt, differre. Imo tantam hic esse contradicentiam, ut alterum cum altero subsistere non possit: si enim verum est ens considerari à logico, quatenus est Ens, falsum erit considerari quatenus argumenti naturam induit: Tu enim Hodæe Ens certè es, argumentum non es; quod si idem esset Ens considerari qua Ens, & qua argumentum, sicuti semper tu Ens es, & ut Ens considerari potes: ita quoque eadem ratione argumentum fores, & ut argumentum considerare. Deinde mi Hodæe, quæ Enti conueniunt, qua est Ens, ea non tantum per se, sed καθόλου, conueniunt, summo necessitatis gradu: Argumenti vero Ramistici naturam induere id illi ex accidente inest, nequaquam per se. Pergis deinde & generale subiectum in scholis Ens & non Ens; speciale & proprium dicis in dialectica tradi, videlicet argumentū. Diues logica! duo habet subiecta: at ego didiceram ab unitate subiecti unitatem accipere scientiam. Attamen libenter fateris, thesi 28. Ens & non Ens esse subiectum dialecticæ quidem, sed non solius, quippe generale & commune, id est, ad omnes artes dicendi ex æquo attinens, Ideoque vnam ex illis sibi id proprie non vendicare; Ramum vero alibi Ens & non Ens logicæ ideo assignare, ut eius amplitudinem, quæ à veteribus contra omne fas in angustum contrahebatur, ob oculos quasi poneret. Et 29. speciale dialecticæ subiectum est argumentum non ideo speciale dicitur, quia certas res subiectas notet, sed quia vni<sup>9</sup> artis, quæ species est, proprium fit eiusque limites & terminos circumscribat, & ab alienis discernat, hæc (inquis) sola ratio mouit Ramum, ut præter Ens & non Ens argumentum dialecticæ substerneret. Hanc distinctionem si disputator diligenter obseruauerit, nihil erit reli-*  
*qui,*



qui, in quo se amplius curis frustra maceret. *Hæc tua sunt omnia, ad quæ primo de curis frustra es, neq; enim tanta sunt vestra subtilitates Ramistica, ut disputatori vllas curas creare possint. In reliquis autem malè disputas mi doctor: nam ad argumentum meum nihil mihi respondes, sed illud ut omnia reliqua, quæ vos constringunt Sophisticè præteris. Multa verba fundis, quare Ramus Ens & non Ens in scholis dialecticæ subiectum statuat, in logicis vero argumentum: at hoc ego à te non quærebam Hoddæ: explicare mihi debuisti non cur Ens substernatur considerationi logicæ, sed cur Ens dicat Ramus in scholis dialecticæ substerni, quatenus est Ens: in dialecticis verò non quatenus est Ens, sed quatenus argumenti naturam induit. Hæc enim è Diametro sibi inuicem aduersantur, ut simul subsistere ea sit impossibile. Modos igitur considerandi Ens, ego demonstrabam duos diuersissimos à Ramo dialecticæ tribui, quæ Ens, videlicet & qua argumentum, quod impossibile est in vlla doctrinarum fieri. Hic igitur tu mihi aliquid repperi Hoddæ, quod tum turpi præceptoris tui errori prætereundum possis. Non verò aut animus aut tempus est omnia tua peccata tibi ostendere, ea præsertim, quæ non multum ad eam controuersiam faciunt quæ mihi tecum est: Sed tamen scire debes argumentum male à te subiectum vocari, quod opus potius est. Subiectum suum nulla ars facit, aliunde illud accipit, & ex eo aliquid facit: ut, non facit lignum aut ferrum faber, neq; aurum aurifaber: at argumentum sit ex dispositione vnius rei cum alia: nequaquam ergo logicæ subiectum est. Considera autem mi Hoddæ verba harum thesium exactius, & vide quam inuitus cogaris Peripateticis in ijs concedere ea ipsa quæ hic oppugnas. Ens fateris non tantum subijci logico, sed etiam alijs artibus, si id verum est, debes omnino modum considerandi ponere, qui hoc subiectum quod tu commune esse fateris, restringat ad logicen tantum: uti dicas cum Ens & logicæ subijciatur & reliquis artibus dicendi (ut tu dicis) quomodo subijciatur logicæ: quomodo reliquis. Hic mihi inuitus modum considerationis constituere cogaris, quem das in proprio tuo*



*subiecto videlicet argumento: hoc enim vis omne Ens & non Ens, quatenus argumenti naturam induit, logicae subijci: audio, & hinc duo efficio. 1. Ens non considerari aliter à logico, nisi quatenus secundis notionibus subiacer: argumentum enim Hoddae vestrum secunda est notio, non prima. Deinde cum Ens tantum sub ratione argumenti logicae subijciatur, quaero, à qua scientia consideretur, ut Ens est, non vero uti vel argumentum, vel nomen aliquod est, aut verbum, aut simile? exempli gratia, Hoddae quaedam accidunt, qua est homo, qua animal, qua corpus animatum, qua corpus, qua omnia considerationi Physicae subiacent: Sed porro Hoddaeus quoque substantia est, Hoddaeus quoque Ens est, secundum quae varia illi accidunt: Vbi sodes illa accidentia, quae Hoddae competunt, quatenus est Ens, explicantur? Nam in logicis iam negasti: Hoddaeus enim non est argumentum: Sed aliquando fieri poterit, ubi Ramista alicui visum fuerit. Verum ea affectiones quae mihi, tibi, & omnibus rebus competunt, quatenus generalissima illa Entis natura participamus, ubi traduntur Hoddae? Nusquam apud Ramistas: reddite igitur Metaphysicem, quam iuuentuti estis suffurati: quae nos doceat, quid sit ipsum Ens, quae eius conditiones & affectiones, quae prima Entis sit diuisio, quot rerum omnium, quae create sunt, cause sint siue principia &c. Vides Hoddae, quam in procliu sit verum, quamque velit se mortalibus ostendere, nisi ipsis vobis stultitia magis arrideat. Thesi 30. 31. 32. 33. subiecti naturam ignoras. non omnium scientiarum & artium eadem est subiecti ratio: aliter in artibus considerantur subiecta, aliter in scientijs: de qua re consule Zabarellam libro de Constit. logicae 1. Magnum vero monstrum gignis 33. thesi: quum asseris Ramum & Beurhusium Ens & non Ens subiectum operationis dialecticae facere, argumentum subiectum demonstrationis. An vero una eademque scientia vnum habet subiectum operationis & alterum demonstrationis? quas Chimeras quando protuditis, ecquid illud sine risu facere potestis? si haec ipse Ramus legat, quid censes tibi gratiae reponeret, pro hisce puerilibus figmentis, quae illi affingis? Subiectum logica nullum habes*

Th. 30.  
 31. 32.  
 33.



habet ( non loquor de subiecto inhesionis, quod anima est ) nisi operationis : facit enim ex suo subiecto aliquid : demonstrator vero è suo subiecto demonstrationis nihil facit, sed tantum proprias affectiones de illo subiecto per vera & germana principia demonstrat : illiusq; subiecti species & partes considerat. Ergo Physicus quando de cælo, quando de Elementis, quando de animalibus agit, non docet aliquid ex omnibus illis facere, neq; enim scientia habet subiectum operationis : At Logica Rami ex argumentis suis docet primò facere Enunciationem, deinde syllogismum. Ineptè ergo etiam hoc abs te dictum est, sicuti reliqua omnia. In thesi 34. admodum es Th. 34. ridiculus, dum reprehensionem meam ridiculam esse conaris demonstrare. Porro, inquis, nemo non videt vanam & ridiculam esse Rami fuggillationem, ob alterius subiecti membrum : cum enim id tanquam contrarium Enti opponatur, nunquam non Ens sub natura Entis considerari potest, aut debet, neq; eiusmodi consideratio per somnium Ramo in mentem unquam venit. Speciosior videretur oratio, si dixisset non Entia, nulla alia ratione nisi quatenus non Entia sub logicam considerationem venire. Iure igitur hunc versum repetere possum : damnari carpique etiam rectissima possunt. At videamus Hoddeæ, quam ridicula sit obiectio : Modus considerandi, inquam ego, quia determinat, & contrahit subiectum, quod commune pluribus erat scientijs & Entibus ad certam aliquam vel scientiam vel artem, toti subiecto omnibusq; eius partibus conuenire debet. At qua Ens modus est considerandi subiectum logicum ( vt ait Ramus ) Ergo omnibus eius partibus conuenire debet. Quod si iam verum est, non Ens subiectum esse logica, secundum hunc modum considerandi illi erit subiectum, non autem alia aliqua ratione. Quid tu igitur me docere voluisti speciosorem orationem Hoddeæ ; non Entia logicæ subijci nulla alia ratione nisi quatenus non sint Entia ? Tum ego praterquam quod aequè ineptus fuisset, atq; tu nunc es, qui duos non tantum diuersos, sed contrarios considerandi modos in uno subiecto  
mon-



monstres, etiam Ramo aliquid affinxissem: quereret enim ubi id à se dictum aut scriptum esset, non Ens quatenus non Ens considerari à Logica. Noli me docere isthanc artem, satis multum ineptiarum à se dare Ramus potest. Vt non sit opus hanc illi insulsiatē affingere. *Thesi 35.* Exprobationem qua Ramum violatæ suæ methodi accuso, dicis nullius esse momenti. Ramo enim non propositum fuit *inquis* in inuentione logica Ens sed argumentum definire. Quorum vtrumque à Ramo benè (*ais*) factum esse. Sed *Hoddae* fortissime bellator, si Ramo non fuit propositum Ens definire, quare dixit subiectum logicæ esse Ens quatenus est Ens? intelligis enim iam reduplicatiuam particulam, qua vel quatenus quam supra tibi explicauit. Ergo aut tum falsum dixit Ramus, aut violata hic Methodi causam dicat, vel tu pro illo si potes. Deinde cum Ens neges à Ramo definiri debuisse in logicis, ubi igitur definiri debet? Vbi diuidi? ubi eius affectiones assignari? num in physicis *Hoddae*? an vero in *Mathesi*? an potius vos *Medici* hanc operam vobis sumere vultis? Quæso te, noli ex omnibus omnium scientiarum finibus pellere considerationem Entis qua est Ens, & saltem aliquem loculum ei assigna, in quo post captam & euersam patriam suam *Metaphysicam*, possit consistere. Neq; enim te dignum facias misericordissime *Doctōr*, si illud, perpetuo vagari incertis sedibus patiaris. *Thesi 36.* Male concludit (*inquis*) qui Ens qua Ens subiectum logicæ statuit, nec simul eius definitionem & proprietatem persequitur, perperam facit. Sed Ramus hoc facit, Ergo &c. Quid hic respondet meus *Doctōr*: videamus *thesin* que sequitur *thes. 37.* Respondemus, alio consilio lib. 2. cap. 7. Schol. *Dialect.* Ens qua Ens *Dialecticæ* subijcit, alio consilio. Ens & non Ens simpliciter, sparsim in prædictis scholis *dialecticæ* attribuit: alio consilio in ipso *dialectices*, vestibulo argumentum specialiter *dialecticæ* docet. Quapropter non necessum fuit, vt Ens in logica definiret, diuideret, eiusque proprietates persequeretur. Verè *doctōralis* responsio, alio consilio, at quo tandem

102



mi acutissime dn. disputator? Nescis fortassis: neq; ego scio: aliquam  
saltem causulam, si non causam addidisses, etiamsi more tuo leuem,  
ineptam absurdam quoq;: nunc illud alio consilio nudum hostibus  
obijcis. Quid tibi videtur, si dicamus, Petrum Ramum dictatorum  
logicorum martyrem, ita voluisse? Per mehercules eleganter respon-  
disti, quod si hoc pacto alijs quoq; liceat, etiamsi quis caelo terram &  
terris misceat orcum; etiamsi quis millies sibi contradicat, defendat  
tamen rectè factum esse, per illud aureum, alio consilio. Thesi 38.  
nihil demutat meus Hoddeus, semper est Hoddeus. locos ibi statuit,  
species Entis, & differentiam istam locorum primam Entis  
differentiam esse audacter asserit. Cuius turpissimi & plus quam  
puerilis erroris refutationem in secunda mea disputatione legere po-  
test. Illud tantum hic querere lubet; cum loci sint Entis species huic  
doctori, Hoddeus vero sit aliquod Ens, ad quemnam istorum locorum  
pertineat Hoddeus, qui essentialiter ita de eo pradicetur, ut reliquos  
omnes excludat? sicuti si idem illud de predicamentis à Peripatetico  
queras, responsurus sit ad substantiam pertinere Hoddeum: Ergo non  
est quantitas, non est qualitas, non est relatio: ita aliquem locum tibi  
elige, in quo habitare velis, qui uniuoce de te pradicetur ita, ut reli-  
quos omnes locos excludat. De quo dum tu deliberas, ego ad 39. 40. 41. Th. 39.  
42. 43. 44. 45. tuas theses propero: quibus omnibus de secundis notioni-  
bus ita disputas, ut demostres ignorare te, quid nam sit notio secunda.  
Lubet autem hic repetere thesin meam 29. quam oppugnare vis, ut  
quid ei contradicas quilibet intelligat. Ea ergo sic habet. Et ut se-  
mel dicam, omnes omnino res, quæ in tota rerum natura sunt,  
siue ex pluribus tribui possint, siue non possint, siue substantiæ  
sint, siue accidentia, siue corporeæ siue incorporeæ, siue ele-  
menta siue elementata. Postremo Petrus, Ioannes, Andreas,  
Bucephalus &c. quicquid est, id omne logico pro subiecto  
est, non tamen Petrus qua est Petrus, neq; Andreas quatenus  
Andreas, neq; quatenus sunt homines, neq; quatenus anima-  
lia, neq; quatenus substantiæ, neq; quatenus Entia à logico  
E con-



considerantur: Sed ratione secundarum notionum, quatenus in enunciatione vel subijci vel prædicari possunt, quatenus naturam in Syllogismo Maioris, Minoris, Medij induere, quod rebus non euenit, qua sunt res, sed quatenus à mente & arbitrio nostro illis id imponitur. *Hæc ita clarissimè à nobis prolata sunt, quæ ineptè oppugnat Hoddeus, prius tamen laudat & probat, quod (verba eius sunt) Disputator non inuitus, quicquid ex rerum natura est, logicæ esse subiectum concedat: sed improbamus, (inquit) quod ait res quatenus sunt tales, non assumere logicas notiones, sed quatenus à mente & arbitrio*

Th. 40. *nostro id illis imponatur. Explicat illud sequenti 40. Logica (inquit) non primo imponit rebus, circa quas versatur, notiones logicas: Sed res eas habent insitas, secumq; ad logicam afferunt, antequam à Logica diiudicentur. Omnis enim res, vel est causa, vel Effectum, vel genus, vel species, vel aliquid aliud argumentorum inuentionis logicæ per naturam & veritatem suam, non per hominis arbitrium. In vna Thesi duo maxima peccata ab vna eademq; causa orta, videlicet ab ignorantia discriminis primarum & secundarum notionum. Primum est quod offeris, logicam non primo imponere rebus, circa quas versatur notiones logicas. Alterum quod dicis causam effectum esse notiones secundas siue logicas. At clarissime & excellentissime supra quam credi potest vir, cum differentia primarum & secundarum notionum tibi vsq; adeo ignota esset, qua tu confidentia differere ausus es, contra Peripateticos, quorum ne quidem prima hæc principia intelligebas? Nam sanè turpissimum esse puto, contra eum disputare, cuius tibi ignoti sint termini: quid enim ei commodè obijcere poteris? Aut quomodo intelliges, quidnam sibi velit. Atq; hoc in logica Doctore medico accidere, qui se logices propugnatorem & Martium bellatorem iactet, longè est turpissimum. Audi ergo Hoddeæ, neq; causa neq; effectus, nec subiectum, neq; adiunctum, non diuersa, non disparata, non relata, neq; aduersa &c. notiones sunt logicæ siue*

*secun-*



secundæ, adeoq; quicquid in rebus est, prima est notio non secundæ, realis non intentionalis. Cum enim Ens distinguatur (quod ex Metaphysicis discere potuisses) in Ens reale & rationis: quicquid reale est, ad illud diuisionis membrum, nequaquam verò ad hoc pertinet. quod verò rationis est siue intentionale (ut loquuntur) Ens, nequaquam ad illud referri poterit, nisi quis maximas rerum differentias confundere velit. Ergo causa, Effectum, subiectum, adiunctum, diuersa, cum rebus ipsis insint (credo enim Hoddeum realiter diuersum esse ab Equo, constare ex causis realibus, habere adiuncta sua realia & per consequens esse subiectum reale &c.) falluntur & fallunt, quicumq; assenerant has esse notiones secundas siue notiones logicas: & ne tum quidem quando in maxima sua latitudine & vniuersalitate accipiuntur, desinunt esse res; Sed vti causa aliqua indiuidua lis, puta Iacobi aut Andree forma, res aliqua est: ita & vniuersalissima causa res est, non intentio, eiusq; definitio rem definit non vero intentionem aliquam: ut quando dicit Ramus causam esse, cuius vi res est: an tu intelliges notionem alicuius vi rem esse? aut quando materiam definit causam, ex qua res est, quis mihi tam absurdus sit, qui ex notionibus logicis rem constare dicat ut ex materia? quare realia sunt ista, quia rebus nullo mentis beneficio insunt. At vero Hoddeæ intentionalia tantum, siue Entia rationis, siue notiones logicae, vel secundæ, rebus non conueniunt, neq; in rebus sunt. Adeoq; ineptis dicens, res eas habere insitas, secumq; ad logicam adferre. Accidunt enim primis conceptibus secundi propter mentis operationem, ut: genus, species dicitur notio aliqua propter predicationem: predicatio autem mentis est, non vero in rebus, ut si dicam: homo est animal, hic animal dicitur ut genus predicari. At in hac enunciatione animal est corpus, animal idem quod antea genus erat hic fit species: cum interim animal semper maneat animal, siue genus sit siue species. ita quod notio quedam subiectum dicitur vel predicatum, id illi Hoddeæ qua talis est, non conuenit, sed quia eo loco à mente nostra posita est, ubi secundam hanc notionem suscipit. Vt puta ho-



mo est animal, Animal dico esse prædicatum, & verum dico. Iam à te quero an prædicatum illud logica vel logicus secundum logicen suam imposuerit animali, an vero animal extra mentem logici sibi insitum habeat, secumq; ad logicam adferat illud prædicatum esse? Quod si tam inepto tibi esse libeat, ut non verearis, hoc asserere quod absurdissimum est; tum idem mihi dic, an illud animal subiectum etiam sit enunciationis extra mentem, an maior terminus, minor, medius, ut hæc omnia ad logicam afferat, non autem à logica, accipiat? Quæ si vanissima sunt, & peccatum in tirunculo animadvertendum, quid de te doctore sentiendum nobis erit? Discere te oportuit, quæ vocarentur Peripateticis primæ intentiones, quæ secunda siue logica. Quod si fecisses non utiq; hic tam turpiter peccasses, & melius de tota constitutione logica sentires, neq; in fraudem illiceres

Th. 41. *bonæ spei tot adolescentes. Thesi 41. Quid quæso dicis Hoddæe, concedimus ais corpora siue incorporea, siue Elementa siue Elementata, Andream, Petrum, Ioannem &c. esse argumenta logica: non quia hoc nomen habeant, sed quia sunt res aptæ natura sua ad hunc vel illum terminum logicum recipiendum, ain' vero? an propterea argumenta sunt, quia apta ad conditionem argumenti suscipiendam? ô tedigniloquides, à posse ad inesse valetne tibi consequentia? Potest suscipere terminum logicum est ergo terminus logicus? concedimus tibi hoc (inquis.) At ego id à te non postularam: neq; enim sunt termini logici quia res sint aptæ natura sua ad hunc vel illum terminum logicum recipiendū: non magis quam informe lignum aliquod est signum seu statua, quia aptum sit ad statuæ formam suscipiendam, suscipiatq; si quis accedat artifex. Omnes res siue omnes primæ notiones Hoddæe aptæ sunt, ut secundas induant; an vero propter illam aptitudinem fient notiones Logica? aptus est omnis homo ut fiat cinis, an propterea dices hominem esse cinerem. Ita dum à veritate disceditis, & nihilominus semper aliquid dicere vultis, semper magis magisq; deliratis. Ex hac eadem ignorantia thesi 42. 43. 44. 45. De vocibus & conceptibus corni-*



cornicaris. Quid ea ad hanc rem faciunt? thesi 42. Argumenta non sunt tibi nomina & voces. quis pro nominibus aut vocibus ea tibi vendiderat? Sed res ipsæ ruditer & generaliter animo intellectæ & hominum sensibus per voces velut per Symbola repræsentatæ. Per me hercules ruditer hæc rudis Hoddæ, res ipsæ ruditer & generaliter animo intellectæ tibi sunt argumenta. Ergo 1. Res traditis in logicis, quod ante te negarunt tui, multo verius, quam id tu asseris. Deinde res illæ ruditer tantum in logicis intelliguntur, exactius vero in alijs scientijs & doctrinis. At mi Hoddæ cum ars perfectum aliquid sit, quare rudis illa cognitio rei in logicis non perficitur, ut fiat perfectior & deinde perfectissima? Ita enim videntur præscribere leges vestra, quæ rudem istiusmodi cognitionem non ferunt. Totus error ut supra est ex eo, quia omnes locos tuos pro secundis notionibus, vel ut tu loqueris, pro logicis notionibus accipis; quod quam absurdè facias, nunc vides, si vel ita differentiam primarum & secundarum notionum satis intelligis. Sic animal est homo, sic anima rationalis & facultas ridendi (inquis) essentiam suam naturamque tueri possunt: Etsi nominis illius quo appellantur ad miniculo nequaquam sustententur. Pergis deinde & de nominibus declamas, & cum Heraclito disputare vis, Thes. 43. Sed quid ea ad nostram controuersiam? An propterea primis notionibus secunda à logico non possunt imponi, quia nomina ex arbitrio rebus imponantur? Fac mihi hinc syllogismum mi Hoddæ: nomina ex arbitrio hominum rebus conueniunt, Ergo secunda notiones primis non imponuntur. Baculus stat in angulo, Ergo Hoddæus est Doctor & Logicus & Physicus & amplius aliquid. Imponuntur nomina ex arbitrio hominum. Ergo ex notione animalis, pro meo arbitrio non possum facere subiectum vel predicatum. Venit mihi hic in mentem erus, quod superius dicebas, Res ad logicam adferre notiones logicas à logica autem vel logico ijs non imponi. Responde si ego dicam: Omnis homo est lapis, an sit enunciatio? quod si negare non potes, quum Enunciatio falsa sit, si autem falsa enunciatio, certè est enunciatio.



ciatio. Verum mihi dicito, lapis, sitne subiectum an predicatum? hoc  
puto affirmabis, illud negabis. Iam si est predicatum, queso etiam  
nisi molestum est expedias, an attulerit illud predicatum ad logicam,  
an vero illi impositum sit? puta, an lapis extra mentem sit predica-  
tum hominis? ita inuenies num secunda notiones primis imponantur  
à logica, an vero ad logicam adferantur. Examina hoc queso: poteris  
Th. 44. enim ex myrothecijs & arculis sapientie Ramisticae, nam thesi 44.  
45. 46. & 45. admodum tibi eo opus est. Thesi 46. Hoc vere dixisti quales in  
meis thesibus sunt praemissae talem etiam esse conclusionem,  
nam & praemissa & conclusio ita verae sunt, ut frustra Hoddeus &  
Hoddeo similes omnes suas vires contra eas frangant. Postea autem  
quando pergis, sementem errorum facis, Ex falsis inquis nil nisi fal-  
sum, ho ho logice quam tu omnibus pene verbis falsam tuam logicen  
nobis ostendis. At si hic Aristotelem legisses, discere ab eo potuisses,  
non tantum, an ex falsis verum sequeretur, sed etiam quot modis il-  
lud fieret. Dic mihi in hoc syllogismo omnis homo est lapis. Omnis Ada-  
mas est homo, quid hinc sequitur? nimirum. Ergo omnis Adamas est  
lapis, haec autem conclusio vera tibi est an falsa? puto veram dices:  
sed neq; hoc negabis, ex illis praemissis necessario hanc sequi: Ergo se-  
cundum nostrum Hoddeum, quia conclusio vera est praemissa illa  
quoq; erunt verae: nam ni ita esset, non foret vera conclusio, quia au-  
tore Hoddeo: Ex falso nil nisi falsum. Dic igitur mihi mi Hoddae  
an homines ubi tu es natus sunt lapides? nam sane ubicunq; ego ter-  
rarum fui, coeperi esse animalia ratione praedita, nisi te excipi velis. Disce  
igitur quod puer scire debuisti: ex veris nil nisi verum sequi legitima  
forma: ex falsis autem, etiamsi forma nihil omnino labet, & verum &  
falsum. Pergis deinde, postquam igitur de subiecto dialectice falso  
differuit, falso iam concludit, falsum est utrumq; Hoddae ut tibi  
luculenter demonstratum est, Ramistarum libros multis opinio-  
num monstris refertos esse: Hoc falsum non est, sed verum. Quod  
autem Ramistarum libri nugis monstrosis sunt repleti, testabuntur, pro  
me ipsi. Deinde somnium esse Ramistarum in logicis generalia tra-

tra-



tractari addit: item quasi scilicet doceant in reliquis artibus  
specialia tradi, falso illis affingit ita tu loqueris: Ergo Hoddae ne-  
gas Ramistas dicere in logicis generalia, in reliquis artibus specialia  
tradi? nimium iam ut video à te postulavi, cum Peripateticos te di-  
scere iussi, lege queso lege vel tuos praeceptores Henricum Sconerum,  
Freigium, Beurhusium, Snellium & reliquas Ramistarum copias &  
videbis quomodo illis logica uniuersalis habeatur specialis Physica, Ma-  
thematica &c. In syllogismo theses 47. quem impugnas Hoddae? Th. 47.  
mene? an potius cum laruis tuis luctare? hoc certe deprehendet qui  
thesin meam 30. inspiciet, Sicuti thesi 48. eleganter sane intelligis, Th. 48.  
Aristotelem, si purum inquis putum commentum est, motum,  
locum & tempus logico agro inferi, prius illos pudeat, qui  
primi huius commenti autores sunt. Ante Ramum Aristote-  
les & alij illa inter categorias numerarunt. Cur igitur hoc  
crimine, cuius alij, quibuscum facit, æque rei sunt, solos Rami-  
stas condemnet mirum est. Rationes quare Dialecticæ sit, de  
illis præcipere suo loco & tempore in medium proferri pos-  
sunt. Habes tu homo illud peculiare, ut in nulla fere thesi semel tan-  
tum pecces, sed plerumq; peccata aut duplicia aut triplicia, etiam ut  
apparet quadruplicia in una re ostendas. Nam ecce duo hic errores  
crassi & non ferendi 1. Enim quis Peripateticorum te docuit prædica-  
menta ad logicam propriè pertinere, ostende autorem Hoddae, quem  
non inuenies ullum qui vere philosophetur. Scire debuisses logicam  
subiectum habere operationis, & quæ doctrinæ tale habent subiectum  
illud penitus ignorare non debent, nisi sine suo excidere velint. Ergo  
cum totam rerum uniuersitatem, pro subiecto habeat logicus, opera  
pretium fuit omnia illa quæ sunt in rerum uniuersitate suis classibus  
distincta, primum ob oculos ponere; ut appareret, quæ de quibus præ-  
dicari possint. Ergo mutatur à Metaphysico distributionem rerum in  
sua decem genera logicus, non vero proprio iure possidet; quod primum  
est tuum enormè peccatum. Alterum ei non dissimile ais ab Aristotele  
locum motum & tempus inter categorias numerari, falsum est, nulla  
enim



*enim decem categoriarum vocatur categoria loci, nulla motus, nulla temporis. Forte quia predicamenta sint, Vbi & Quando, censuisti locum esse predicamentum Vbi: tempus autem predicamentum Quando; quod si putasti Hoddee, alii ad peripateticos & disce locum & tempus esse in predicamento quantitatis, dicent illi eadem opera, quid inter se differant Vbi & Locus. Quando & tempus. 49. Thesi quam verè gloriaris Rami de subiecto logicae opinionem te asseruisse, iudicent lectores. Ego ad finem tuum propero ut finem huic disputationi imponam.*

Th. 49. *se differant Vbi & Locus. Quando & tempus. 49. Thesi quam verè gloriaris Rami de subiecto logicae opinionem te asseruisse, iudicent lectores. Ego ad finem tuum propero ut finem huic disputationi imponam.*

Th. 50. *Sed 50. tua thesis mihi prius videnda est, quæ valde me in risum dedit: Tandem vbi ad conclusionem disputationis de subiecto viam sternere parat, in id incumbit, ut verba sua Ramo per iugulum redeant, & lege iustitiæ, quam Ramus ex Aristotele renouauit, dialectica eius damnetur. Sed cum non recte ex hac lege contra Ramum agatur, & quæ hic dicit non digna sunt peculiari responsione, superioreq; fundamento, quod mole sua ipsius corruiat & intercidit, nitantur, nouam refutationem hic instituere superfedebam. Hæc est Hoddei nostri responsio ad thesin meam 32. & 33. quas & ipsas ascribere mihi visum est, ut lector perspiciat, quam animosè hic bellator rem Ramisticam defendat. Eæ autem tales sunt 32. Quin age si lubet, ad tribunal Rami prouocemus, præsideat ipse, uti ex illius iure manu confer-tum veniamus: & ex lege καθ' αὐτὸν agamus, credo euincemus, argumentorum Ramisticorum doctrinam, axiomatum item tum syllogismi & Methodi è logicis eiiciendam esse. Th. 33. Nam quod Enti non conuenit qua Ens id in illa doctrina quæ Ens qua Ens considerat tradendum non est, sed argumentum esse enunciatum syllogismum &c. Enti non conueniunt qua est Ens. Ergo in ea doctrina tradenda non sunt. Quid autem hic noster Hoddeus? nihil ille quidem ad maiorem respondet, nihil ad minorem, sed velut nodum Gordium Alexander, uno ictu totum syllogismum soluit; non esse dignam peculiari responsione: per me Hercules cautè. nam quid ille se maceret, ut tam manifesta veritati*



rati nebulas aliquas effundat Ramisticas? quod cum facile fieri non  
posset, didicerat quoque malam causam defendendo fieri nequiorē. Oppidō  
ergo satis fuit dicere non esse dignū peculiari responsione. Finem nunc  
videamus. Thesi 51. 52. 53. reperit syllogismū (ut ait) meū: ac quo verē Th. 51.  
hoc ego dicere possim, quod Martialis de libello suo ad Fidentinum: 52. 53.

Quem recitas meus est, o Fidentine, libellus:

Sed malē dum recitas, incipit esse tuus.

Imo omnino meus non est, si ita recitas: sic enim ego maiorem proposue-  
ram: Quem finem habet mens in secundis notionibus logicis  
imponendis, eundem & logica siue dialectica. Vocabulum illud  
logicis quod hasce secundas notiones à reliquis segregat, puta gram-  
maticis, rhetoricis, omiserat meus Hoddeus; eoque totis tribus thesibus  
ineptus est. Scire autem debebat doctor, omnes notiones secundas, cu-  
iuscumque sint doctrina, esse instrumenta quadam, & ideo illud ipsum  
propter quod rebus imponuntur esse illorum finem: instrumentum  
enim illud esse dicimus, inquit rectissime magnus Zabarella, quod  
cum propter aliud sit tanquam propter finem, ipsius ea tan-  
tum est natura, ut ad illum finem assequendum utile sit, quò  
fit, ut illud proprie dicatur instrumentum, quod amota utili-  
tate ad illud ipsum, per se expetendum non est. Ergo illud  
propter quod grammaticae notiones sunt impositae, grammaticae  
est finis. Illud quare Rhetoricae, ipsius artis Rhetoricae finis est.  
Eodem modo illud quare secundae notiones logicae imponuntur re-  
bus, finis est logicae. At propter veritatem in ipsis rebus inue-  
niendam, id fit; si enim non contingeret errare rationem, inuti-  
lis esset logica. Veritas ergo eius est finis. Erras itaque Hoddeus, qui  
thesi 53. negas assumptionem (propositionem voluisti dicere) illa  
enim si vera est (verba tua noris) haec quoque vera sit necesse est,  
Grammatica & Rhetorica similiter habent praecipua, quae in  
secundis notionibus imponendis versantur, ac propterea fi-  
nem suum proprium & principalem, veritatem videlicet sibi  
propositam habent, insuper nulla est ars quae hoc pacto veri-

F

tatem



tatem, ad quam ceu scopum collimat, sibi præfixam non habeat: quod cum ita est, veritas dialecticæ finis esse non potest. Dic ubi Grammaticus tradat secundas notions ad veritatem in rebus inueniendam? Dic ubi Rethorica? quod cum supra quoque dixisses, ibi errorem tuum risimus. Insuper inquis nulla ars &c. plures igitur sunt artes instrumentales, quæ veritatem in rebus inuestigare docent? Dic Hoddæ ubi sunt eæ? Sin vero censes, quia veritatem quarrit Ethicus, veritatem Physicus, veritatem Mathematicus, eò logicæ non esse finem, erras, & contra est: nam propterea est finis logicæ, quod Ethica, Physica & Mathematica, denique omnes scientiæ & artes logicam adhibeant ad veritatem suam eruendam: quod ex natura & definitione instrumenti supra te docui. Rami tandem argumentum contra Schegkium thesi 54. 55. propugnare aggredi volebat Hoddæus.

- Th. 54. Sed prius mihi conuicium facit thesi 54. & magis olidam veritatis pollutionem quam falsitatis solidam solutionem in refutatione mea audire ait: sua, id est, Hoddæana elegantia: nam ille naribus suis audit olidam veritatis pollutionem: at ego in thesibus hisce olfacio, tetram omnium ineptiarum sentinam. quia tamen refutationē ad finem reijcit, ibi illam expectabimus. Hic quid thesis 58. ad syllogismū thesis 57. respōdeat, videamus: Cuius gratia fiunt, & quo referuntur omnia, is est finis. Veritatis gratia omnia fiunt, & in logicis ad eam omnia referuntur, vt & assequamur eam & cōmodè assequamur: Ergo veritas logicæ est finis. Ita ego opposueram: Respondet ille suo more neque maiore negādo neque minorem. Quia tamen præter consuetudinē aliquid sani habet, audiamus ipsum th. 58.
- Th. 58. Respondeo (inquit) quod ad sententiam Rami attinet, fateor cum eo, dialecticam ex fine definiri debere: sed ex eo qui viribus artis continetur. Cum vero veritatis inuestigatio in euentu posita sit, & incerta: talis logicæ finis omnino statui nequit. Distinctio igitur finium recte tenenda est. Alij sunt interni alij externi. Internus dialecticæ finis est, facultas bene differendi. Externus veritatis inuestigatio. *Aliquid sani hic esse*



esse dixi, idq; est de duplici fine, interno & externo: reliqua eiusdem sunt cum ceteris moneta; neque enim hilo absurditatis ijs cedunt. Et tamen non illa quoq; de duplici fine omni novo carent; quin (vri est errorum fecundus meus Hoddæus) duplex in ijs ipsis verbis sit vicium. Primò enim falsum est, facultatem bene differendi, etiam secundum Ramum, esse finem logicæ siue dialecticæ. Bene quidem differere finem eius statuit. Ipsa autem facultas bene differendi nihil à dialecticâ differt, siue ab habitu dialectico, quem non finem, sed Effectum artis dialecticæ facit Ramus & Ramista: quomodo igitur finis sit dialecticæ facultas bene differendi? Sed tu lapsus es & ipsum bene differere, finem logicæ statuere voluisti: at ego etiam hic peccatum tuum notabam, quod in his verbis alterum esse dixi. Quid enim aliud est bene differere, quam veritatem inuestigare? de qua re dicemus infra; attamen tu ea distinguis, & alterum seu finem internum, alterum vero externum constituis, nimis ut vides ineptè; bene enim is differit, qui ad differendi finem proximè collimat; siue qui finem proxime attingit, seu attingere conatur: quemadmodum in disputatione mea, quam impugnas legere potuisti, ipsum bene differere à veritate determinari. Quare, cum eadem alijs verbis repeteres, male confudisti fines internum & externum, cum neutrum rectè assignes. Nihilominus ut dixi, sanè abs te prolatum est, quod inter finem internum & externum distinguendum esse dicis: utinam vero eius distinctionis semper memor fuisses, vel saltem eam exactius considerasses, non superius neq; hac eadem thesi fortuitum id faceres, quod tamen finem esse profiteris. Perpende ergo quæ sit ratio interni & externi finis: & tandem memento doctorem te esse, quem hæc, ea ætate, ea conditione discere turpe vulgo censeatur: præsertim si aliorum censor audire velit, sicuti tu facis Hoddæe, qui hic censendi ius tibi sumplisti. Externus igitur finis est, ad quem ipse internus dirigitur; neque enim finis internus per se est, aut expetitur, sed propter Externum, cui famulatur & subseruit: quare principalissimus finis est externus. Hoc cum verum sit in omnibus artibus, quæ duplicem istiusmodi finem habent, tum vel ma-



ximè ita est in ijs doctrinis, quæ instrumentales sunt. Instrumenta enim, ut supra dictum est, propter se neq; sunt neq; expetuntur. Cum vero logica sit instrumentalis doctrina, neq; ea neq; opus eius, siue finis internus (nam finis internus etiam opus est) propter se ab ullo expetuntur; ad finem igitur externum collimant, quem cum veritatem esse hic tam apertè profitearis, & illud simul profiteris, etiam inuitus Hoddae, omnia instrumenta logica ad veritatem debere esse comparata, & quicquid ad veritatem inueniendum non conducit id logicum non esse: atq; ita miser, vel felix potius propter agnitam veritatem, omnia quæ hic & in sequentibus contra veritatem disputas, falsitatis apud ipsam veritatem imprudens condemnas. Quid tu igitur dicebas veritatis inuestigatione in euentu positã esse. cum postea eam principalissimũ logicæ finem esse fateri velles. Et sane quoties ita differere vos audio de finibus doctrinarũ, saepe dubitare mihi subit, an sensu aliquo cõmuni sitis præditi: nam de quibus omnibus hominibus certissime constat, ea vos in dubium vocatis. Quis mortalium negabit finem artis piscatoriae, esse pisces capere: nisi qui tui & tuorum similis sit? At pisces capere, estne in potestate piscatoris? Quis aucupium negat capiendis auib. fieri, nisi Ramista, qui omnia certissima negare sunt soliti? Vide te autem, ne hæc contradicendi & omnia corrumpendi libido, in magnum reipub. detrimentum tandem erumpat. Dic mihi Hoddae prædicationis Euangelij, quam Christus Apostolis suis mandauit, quem finem vos faciatis? non licet tibi per Ramisticam hanc phantasiã cum scriptura fateri, Remissionem peccatorum, Iusticiã, & vitã æternam auditorum, esse hunc finem. Audies enim continuo illud, quod contra veritatem hic effutiisti, non contineri illa viribus artis, non iustificari & saluari omnes, qui audiunt, neq; id posse concionatorem præstare &c. Ergo finem non esse. Etiam atq; etiam vide mi Hoddae, quo inuentutem agatis, nam pietatis esse vobis curam, non dubito. Ad syllogismum verò tuum quem mihi opponis: Ex fine interno non externo Dialectica definiri debet. Bene differere est finis Dialecticæ internus, veritatem inuestigare externus E. bene disse-



differere finis est dialecticæ, non veritatem inuestigare. Nego  
tibi maiorem & minorem. Maiorem quidem, cum tales definitiones  
quæ à fine interno desumuntur, imperfectissimæ sint: quippe, ut dixi-  
mus, finis internus non propter se est, sed propter externum: quod si iam  
omittatur externus è definitione, incertus abit auditor, qui præstantis-  
simam causarum ignoret. Desini tu mihi piscatoriam artem sine men-  
tione finis externi, siue principalis: & vide quam pulchram sis habi-  
turus definitionem, puta: Piscatoria est ars bene proijciendi rete &  
hamos; aut simile aliquid; quæret statim auditor: quorsum id fiat, præ-  
cipuam enim hic causam deesse videt. Maior igitur falsa est Hodæe,  
& Minor quoque Bene differere est tibi finis internus Dialecticæ,  
falsum est, veritatem inuestigare externus, cum utrobique alius ver-  
bis idem dicatur, ut supra diximus, & infra ostendemus. Disce au-  
tem hic distinguere inter opus, officium, & finem: Opus Hodæe illud  
est, quod à logica efficitur, quorum ultimum, quod etiam finis inter-  
nus est, cui reliqua omnia, quæ sunt in arte subseruiunt, esse diximus  
syllogismum: ad eum enim omnia reliqua, quæ sunt in arte, tendunt.  
Officium vero ipsa Operatio seu certa efficiendi ratio, ut simplicia  
fabricare, eadem componere, compositis discurrere. Finis denique ipsa  
veritas, Hæc tu considera, & memento, sicuti Confusio mater est o-  
mnis ignorantia: ita Distinctio causa est & genetrix omnis nostræ co-  
gnitionis: hoc ubi feceris non tibi imponet cum suo bene differere  
Ramus: quod adhuc deliberatis an formam an vero finem nominare  
sit satius: cum docuerit Pater vester omnem perfectam definitionem  
genere & forma comprehendendi. Nunc age Medicorum decus thesin tuam  
59. nobis ostende, in qua me ad absurdum trahere velle videris Mu- Th. 59.  
sica tuæ & Medicina. Illam quidem ita mihi adducis, ut reliqua omnia:  
cum ego enim de proximo fine externo, qui mouet efficientem, agerem,  
tu remotissimum adducis, cultum videlicet DEI. Deinde alterum in  
quo indigna Philosophia etiam studioso homonymia laboras, cum & vo-  
luptas & iucunditas tam variè sumantur, à tam diuersis causis, nihil  
distinguis: quod eo tibi accidere minus miror, quia demonstratiui Syl-  
logis-



logismi ne guttulam quidem hausisti. Sed de sanitate, non dicam dolo, commotus sum grauius: quamquam cur semper ineptientem te hic sapere postulem? nisi quia infandum videtur, ex medici ore audiri: medicinae propositam sanitatem non esse, ut finem? Ergo eò Ramus deducere potuit clientes suos, ut medicus & medicinae doctor pro absurdo habeat hanc consequentiam: In medica arte sanitatis gratia omnia fiunt, & ad eam referuntur omnia theoremata. Ergo sanitas est finis medicinae. Attamen priusquam huic medico primum suae artis limen ostendamus, ex Galeno & Hippocrate; videamus tanti atopi explicationem

Th. 60. in Thesi 60. in qua quot sunt enunciationes, tot fere contradicentias animaduertemus. Finis proprius medicinae est, facere omnia, quae ad sanitatem consequendam faciunt. Vnde Medicina rectius definitur ars curandi valetudinem corporis humani, quam ars sanitatem praesentem conseruandi, & amissam restituendi. Finis improprius medicinae est sanitas, qui praecipis artis non includitur, nec in manu & potestate medici situs est ob res externas, quae saepe sanationem impediunt: de quib. Hipp. in 1. Aph. Medicina enim proprie non conseruat sanitatem, vel restituit, sed facit quaedam, ex quib. haec consequuntur, & operatio medici non dicitur sanatio, sed *ιατροεισ*, siue medicatio, ut 2. Phys. docet Aristoteles. Ideo Thomas Erastus eruditè distinguit: rectè instituere curationem, & sanare differunt. Saepe enim rectè agendo finem non consequimur, aliàs possemus homines reddere immortales. Medici finis est, ea facere, quae curatio postulat, etiamsi medendo non semper morbus tollitur. Si fieri posset, ut omnes aegros sanarem, melius esset sanationi studere quam praedictionibus. *Prima hic contradicentia est in primis verbis: Finis proprius medicinae est facere omnia, quae ad sanitatem consequendam faciunt. Duo hic ponis, sanitatem ceu terminum, & factionem eorum, quae faciunt ad sanitatem, siue mouent ad terminum, atq. ita cum neges sanitatem esse finem medicinae: tamen id hic manifestè dicis: quia enim*



enim ei terminum præfigis sanitatem, finem utiq; hunc statuis: Facere autem omnia ad sanitatē, officium quo ad finem illum suum pervenit medicus. Iam vero motum ad finem & ipsum finem, esse idem, non nisi qui communi sensu careat, unquam dixerit. Et hæc prima est contradictio. perge: Vnde medicina rectius definitur ars curandi valetudinem corporis humani, quàm ars sanitatem præsentem conferuandi & amissam restituendi. Secunda est enunciatio, secunda quoq; contradictio: Medicina tibi non est ars sanitatem præsentem conferuandi, & amissam restituendi, & tamen est ars curandi valetudinem. Quid est curare valetudinem Hodæe? Explica nobis vocabulū valetudinis: an sanitatem intelligis? erit ergo medicina ars curandi sanitatem. Curatur autem sanitas, si præsens conferuetur, aut absens recuperetur. Sin vero vocabulo valetudinis morbum vis, curatur ille vobis, ut opinor, si præsens abigatur, absens arceatur; & ita recidis in eandem definitionem, quam antea culpasti, atq; tibi ipsi secundo turpiter contradicis: ut non dicam, quam absurdè bonam definitionem in longè deteriorem commutes, cum pro clara & manifesta, substituas quæ omnib. pene partib. homonymia laborat. sed porro: Finis improprie medicinæ est sanitas, quæ præceptis artis non includitur &c. Si quis barbarus potitius hæc verba proferret, id tamen nimium esset: at à medico pro fine improprio haberi sanitatem, iam ferri non potest: sed de absurditate eius mox patebit, de contradicentijs dicebam, quemadmodum hæc omnia tua secum pugnarent. Hic dicis finem improprium, medicinæ esse sanitatem, proprium autem, ut ex superiorib. patet, facere omnia quæ ad sanitatem. At infra manifestè contrarium asseris. verba tua recognosce, sæpe enim rectè agendo finem non consequimur: Finis tibi est, rectè facere omnia &c. Et tamen ais, sæpe rectè agendo omnia, finem medicum non consequi. Ergo finem consequeris, etiam si finem non consequaris. Audi mi Hodæe, & ut monui cura valetudinem, priusquam morbus iste fiat inexpugnabilis: nam validè admodum vires sumpsit. Ecquid te pædet, in unica  
thesi



thesi tot reperiri contradictiones? puer si sis, quid mereas, ut praeceptori tuo istiusmodi scriptum offeras? naturam finis, quam te etiam ante ex Galeno docui, considerasse oportuit exactius, quod is sit finis, qui primus est in mente, & postremus in opere: de quo non consultamus, ut 3. Eth. cap. 5. inquit Aristoteles: quae verba tibi adscribā, quia manifestè tuum errorem tibi monstrant. Βελευόμεθα δὲ ἔπει τῶν τελῶν, ἀλλὰ πρὸς τῶν πρὸς τὰ τέλη, ἔπε γὰρ ἰατρὸς Βελεύεται, εἰ υἰαίσει, ἔπε ῥήτωρ εἰπίσει, ἔπε τῶν λοιπῶν ἔδειξεν πρὸς τὸ τέλος, ἀλλὰ θέμενοι τέλη ἔπει, πῶς καὶ διὰ τῶν ἑσῶν σκοπεῖται. Cōsultamus autem non de finib. sed de ijs, quæ ad fines pertinent. Neq; enim aut medicus an sanaturus sit consultat, aut orator an persuasurus, aut politicus an bonis legib. ciuitatem temperaturus, neq; alij denique artifices, de fine deliberant; sed omnes proposito sibi certo aliquo fine, quemadmodum, & quib. rebus eum possint assequi, cogitant. Non igitur est ille finis, qui sub deliberationem cadit, aliàs incerta erit deliberatio, cum omnis ea ad determinatum aliquem finem tendat, qui sanè prius debet cognitus esse: eòq; inter multos, qui deliberant, cum eundem habeant finem, variæ & diuersissima sunt de medijs ad illum sententiæ. Etiam vos medici, cum plures ad unum ægrum accersimini. Sape ita sententiis dissidetis, ut nemini cum altero conueniat, tamen unum vobis finem proposuistis, sanitatem videlicet ægri: quod si negas Hoddæ, alijs quidem omnib. medicis magnam facis iniuriam: de te vero ostendis, quid sperare debeant tui ægri, Ergo cum curatio subiecta sit deliberationi, nequaquam finis erit. Quod enim, ut iam diximus, deliberationi subiacet, id ad aliquem alium finem dirigitur: stolidam enim & insanam est deliberatio, quæ nullum finem respicit. Hæc cum ita sint manifesta, ut nemo sanus id negare debere videatur, tamen in tua medicina, multo sunt manifestiora. Nam primum vestrum principium Hoddæ contraria contrarijs curantur, quid te docet? Deinde prima indicatio quæ est. Vin' audire tuum Galenum? quem cur tuum nomino, cum tam clarè demonstras, tibi cum non probari? Is tamen Galenus lib. de opt. secta ad Thrasibulum inquit,  
Illud



Illud autem aduersus methodicos dicendum est, affectus non quid agendum sit, sed suam ipsorum ablationem destructionemq; indicare; quod sane & qui votis expetere possit. Id vero nec vulgus neq; brutæ animantes ignorant, morbos sublationem, sanitatem conseruationē indicare: *mirum, vulgus & brutas animantes Hoddae nostro de fine medicine rectius iudicare, ait Galenus: pergit enim, Quandoquidem si morbi sua ipsorum remedia edocerent, laborantes ipsi per quæ ad sanitatem redirent, intelligerent: at istud ignorant: quid vero morbus indicet certum habet, sublationem scilicet, quare pellendi morbi causa medicos acciri iubent. Vide quanto te antea illi sapientia, qui cur medicum vocent sciunt: tu medicæ cur voceris ignores. Sed audi adhuc semel Galenum eodem libro cap. 5. Ars itaq; medica inter eas est, quæ faciunt & conseruant: non idcirco tamen geminum esse artis finem credere oportet, & quod non est facere, vtpote sanitatem, & eam quæ est conseruare: per eadem enim præcepta, vt aiunt, sanitatem creans, eandemq; conseruans geminum habere finem videatur. Profecto nisi euidenter eadem essent præcepta ad vtrumq; finem ducentia, differentib. etiam finib. diuersæ vtiq; essent artes & medicatiuæ. At quoniam eadem cum sint præcepta proposita euariant, vna ars differentia habebit proposita, sed mehercule ignorant, artis vnum esse propositum, sanitatem scilicet, finemque vnum, qui est eius consecutio, modos autem consecutionis multiplices. Si tu Hoddae aliquid videre potes, hic aperi oculos, & vide quoties hoc loco finem medicine sanitatem esse manifeste dicat præceptor tuus Galenus: quæ tua & tuorū causa magis tibi placuisse vellem: adeo enim vidisses illum ab hac absurda opinione abhorrentem, vt infinitis locis te arguat. imo vt alios omittam, torus liber qui TRASIBVLVS inscribitur è diametro tecum pugnat. Et etiamsi forte leuè esse censeas tu, hospitē te in Galeno tam ignotum depræhendi, tamen cum medicus audire velis, omnino tibi hic error dissimulan-*



deus erat, ne si eum ciues tui resciscant, medico istiusmodi nihil sibi  
opus esse dicant, cui non sit proposita sanitas. Sed quia in euentu po-  
nis sanitatem, & fortuitam aliquid esse vis, audi etiam præter Gale-  
num, ipsum Hippocratem: cuius verba tibi ascribam, ut & illa te do-  
ceant finem medicinae, præterea quoque qui tu sis & qui esse deberes: le-  
ge autem ea in fine libelli de locis in homine: Medica quidem ars,  
medicinaue tota mihi videtur esse comperta & demonstrata,  
quæ sic habet. Singula vti consuetudinum genera, tempora  
temporum occasiones & oportunitates sciat, doceatque: nam  
qui medicam artem sic sciet, minime fortunam, vel eius opem  
morabitur, quinimo cum ea & sine bene faciet: medica enim  
ars tota constat, procedit & comparet pulcherrimis inuentis,  
sophismatisue in ea compositis constantibusque, minimumque  
opis fortunæ eget: siquidem fortuna sibi ipsi satis est, sufficit,  
& imperat, nulliusque imperio subiacet, precibusque eam adire  
vel placare non est. Scientia vero disciplinaque sub imperio  
est, facileque est eam nancisci, cum qui eam nouit, ea vti velit:  
deinde quanquam in parte medica ars fortunæ eget, siquidem  
medicamenta morborum potiuntur, clarum siquidem esse  
reor, medicamentis morbos sanari, nihilque in ea re fortunam  
morari, siquidem medicamenta sunt. Sin autem cum fortu-  
na dando profunt, nihil magis medicamina, quam ea quæ  
medicamina non sunt, sanum faciunt sanantue, si cum for-  
tuna in morbis porriguntur. Quicumque tamen fortunam me-  
dica arte vel quauis alia re penitus abdicat, dicitque eos, qui  
bene sciunt & faciunt, fortuna non vti, mihi non recte senti-  
re videtur: nam ij soli mihi videntur secundam vel aduersam  
fortunam nancisci, qui bene vel male quid sciunt, vel faci-  
unt. Nam aduersam fortunam nancisci est, cum quis quod  
nescit non bene facit: nam cum quis ignarus est & rudis, quo-  
nam pacto secundam fortunam nanciscatur, tametsi aliqua-  
tenus consequatur? non multi tamen faciundum est: nam  
qui



qui non bene quid agit, secundam fortunam nunquam nanciscitur, nisi cætera illi accedentia vel melius fecerit. *Thesi 61. Th. 61.*  
*62. Alterum meam argumentū: quod actio ad finem non sit ipse finis: 62.*  
*ita soluis, ut repetas ea quæ antea tibi à me falsa esse demonstrata sunt, quare & hæc corruunt. Sed in assumptionis redargutione audiamus te parumper thesi 63. Vbi hanc minorem meam negas, bene differere est destinatum ad veritatis investigationem Deinde inquis, assumptio non est vera, multi enim bene differunt, non ut veritatem in abyſſo demersam eruant, & in lucem producant: sed ut eam vel scientes abscondant; vel inscientes opprimant, qua quidem fraude & laude, sophistæ omni tempore maxime claruerunt & gauisi sunt. Cui homini etiamsi tollerantissimo & ouicula mera non exprimant bilem hæc tam absona? bene igitur differit, qui vel sciens abscondit veritatem, vel insciens eam opprimit? ô veritas, hæc audis! Bene differere dicetur impostor aliquis qui in fraudem volens & sciens inducat auditorem? Imo uti hoc genus hominum pessimum est: ita pessima est talis dissertio. & contra logices præcepta: sed vera logices; non falsa Ramii & Ramistarum: eoque apud Aristotelem Elenchi sophistici sunt, ut istos tuos Sophistas, quos illa fraude & laude claruisse dicis cognoscere posses & refellere disceres. Nimirum rectè ego semper fugi illud bene differere Ramisticum, per quod scienter veritatem abscondere, inscienter eam opprimere possim. Quod cum docere fateris vestram logicen, hostium filij eam discant. Eadem thesi. Neminem dicis puto similem hanc argumétationem probaturum esse: Arithmetica præcepta de bene numerando sunt destinata ad negociandum & mercaturam exercendum. Ergo non facultas bene numerandi sed negociatio & mercatura est finis Arithmetica: Ita tu etiam hic Hoddeum agis, & uti verba tua sunt, secundum vestram logicen bene differendo veritatem vel scienter abscondis, vel inscienter opprimis; & sophistis fraudem illam & laudem invidere te apparet, qui illorum armis pugnare velis: est enim Hoddeus, fallax.*



*fallacia accidentis. Arithmetica propter mercaturam inuenta nequaquam est, sed pars est Philosophia Theoretica: per accidens autem conuenit Arithmetica, quod mercatori quoque inseruit. Sicut non dices propter chirurgiam repertam esse Geometriam, etiamsi ex ea sciat chirurgus, quare rotunda vulnera difficilius curentur. An tu Pythagoram negabis arithmeticum fuisse, quia mercator non erat? Vel an tu eum Arithmeticum propter mercaturam didicisse audebis affirmare? quàm multa sunt in Arithmetice, quae nullum mercatoribus usum prestare possunt? Plato dicebat duas esse alas, quibus in caelum subuolent Philosophi: Arithmetice & Geometriam. Sed Hoddeus noster alteram eis euellit, & mercatoribus suis alligat. Ita miseri Hoddeani Philosophi, cum ob defectum unius alae, in sublime se tollere nequeant, curculò volant, sicut marinus passer per circum solet. Thesi 63. syllogismum mihi obiicis, qui meus non est, & eum malè propositum thesi 64. malè tamen soluis. Argumentorum enim tuorum inuentio qualis sit discere ex disputatione nostra secunda. Deinde veritatis tibi per accidens habetur ratio: quod enorme peccatum supra castigauimus. Postremo illud tuum ex falso nil nisi falsum secundo reperis, credo, ne lingua lapsum quis opinaretur. Th. 65. vere Hoddeana est, quae totam lectorum meum legere cupio, ideoque ascribam: Cur in prima figura, si minor sit negatiua nihil concludatur: cur ex puris affirmatiuis in secunda figura nihil sequatur: cur in tertia figura conclusio non debeat esse uniuersalis; falsam horum omnium reddit rationem: quia ex veris falsum efficeretur. Committitur fallacia non causae. Non enim syllogismus primario iuxta regulas syllogisticas formatur, ne ex veris falsum eliciatur, sed ut consequentia sit certa & bona: quod vel in primis definitio syllogismi docet: secundario bona consequentia est causa verae conclusionis. Facta enim ex principiis congruunt principiorum naturae. Ita noster hic philosophus, quem ego certo scio, si paululum modo adnitatur, laudem illam & fraudem, cuius supra fecit mentionem, sophistis omnino praecepturum esse:*

quod



quod ibi cum incepisset in fallacia accidentis, hic pulchrè in petitione principij persequitur. Querebam ego, quare consequentia non sit bona in syllogismo prime figurae, si minor neget: secunda, si totus affirmer: tertia, si conclusionem habeat uniuersalem: & hanc causam ei tradideram; quia ea formâ ex veris falsum sequeretur, ut:

Omnis homo est animal:  
Nullus bos est homo:  
E. Nullus bos est animal.

Et in secunda,

Omnis homo est animal:  
Omnis bos est animal:  
E. Omnis bos est homo.

In hisce syllogismis, maiore & minore vera, conclusio falsissima est, quare forma non valet: nam ex veris nil nisi verum sequitur, si forma sit bona: ex falsis autem & verum & falsum, ut demonstrauimus. Hæc cum rectissimè dicta essent, Hoddæus id negat, aitq; committi fallaciam causæ. Non enim syllogismus, inquit, iuxta regulas syllogisticas formatur, ne ex veris falsum eliciatur, sed ut consequentia sit certa & bona. Doctissimè: quæras tu, quare consequentia syllogismi prime, minorem negantem habentis non est bona? respondet Hoddæus, quia consequentia non est bona: liquida soluendi ratio: si tu Hoddæe negas, sicuti facis, hanc esse causam bonæ consequentia, aliam debuisti nobis tradere, & veritatem regularum syllogisticarum nobis demonstrare. Dicit Ramus cap. 12. lib. 2. Dial. Secunda species syllogismi secundi generis est, quando argumentum antecedit in propositione, sequitur affirmatum in assumptione. Probatu Hoddæe argumentum debere esse affirmatum in assumptione, quia, inquis, aliàs non erit bona consequentia: petis principium: Id enim ego quero, cur non sit bona consequentia, si argumentum sit negatum? neq; enim sufficit hæc dici: probanda sunt, & omnium præceptorum causæ assignandæ: quod in hac syllogismi doctrina operosissimè factum esse ab Aristotele legere potes.



Th. 66. potes. Postremò thesi 66. ad finem usq; subruere conatur, id, quod ex ipsa rerum natura demonstro; affectionem partis posse esse finem totius.

Th. 67. Sed illud tam doctè sicut omnia reliqua. Thesi 67. verba eius sunt. Negat propositionem hanc Ramæam: veritas est affectio enunciationis: & rationem suæ negationis hoc syllogismo reddit:

Cuius gratia syllogismus est, id eius est finis:

Veritatis gratia syllogismus est:

E. Veritas eius est finis.

Assumptionem primò probat, ratione sumpta ex consideratione trium operationum mentis. Deinde testimonio Beurhusij. Prima thesis pars & falsa est & inepta: falsa, cum dicat me negare, veritatem esse affectionem enunciationis: inepta, quando asserit, hanc esse propositionem in syllogismo Rami: is enim talis est: Affectio unius partis logica non potest esse finis totius: Veritas est affectio unius partis logica, videlicet enunciationis: Ergo non potest esse finis totius: Ut apparet, enunciatio illa non est propositio, sed assumptio. Porro priusquàm meo syllogismo respondeat, ea quæ de operationib. mētis

Th. 68. differueram thesi sua 68. & 69. per Dichotomiam proponit: Deinde 69. probationem meam, & à ratione sumptam, & à testimonio Beurhusij recitat. th. 70. 71. At prius illud non erat necessum, meminisse debebat doctor, cognitionem nostram se habere ad ipsum quod cognoscitur, sicut se habet mensuratum ad suam mensuram. Ideoque ea per dichotomiam velle proponere, quorum natura id non patitur, perinde est, atq; si mensuratum suam cogere mensuram vellet. Eog; necessario fit, uti tam absurdè sæpe ineptiant isti dichotomie nimij amatores. Exempla hic recitarè innumera, nisi mihi aliud agere non luberet: dabitur for-

Th. 72. tassis olim occasio. Nunc quid th. 72. respondeatur ab Hoddeo videamus: qua licet chorda eadem oberret: operæpretium tamen est audire quid dicat. Respondeo, inquit, ad principalis syllogismi assumptionem: veritas syllogismi finis est, non per se, sed per Accidens. Etsi syllogismus non sui gratia inuentus est, sed

vt



vt axiomatici dubio fides per eum fiat, id est, vt inferuiat ve-  
ritati, non tamen veritas, sed consequentia propriè in syl-  
logismo spectatur. Veritas enim vnius axiomatici affectio  
est, consequentia plurium. *Non iam amplius indignor Hoddae:  
Sed ita me DEVS amet, vehementer me tui miseret.* Veritas syl-  
logismi finis est non per se, inquis, sed per accidens. *Et ta-  
men statim fateris, syllogismum propter veritatem esse in-  
uentum. At, mi homo, qui potest esse alius finis magis per se, quàm  
ille propter quem res est inuenta? Fines per Accidens Hoddae ac-  
cessorij sunt, non principales; sed veritas te consitente principalis est,  
cum totus syllogismus propter eum sit inuentus. Et pergis, non ta-  
men veritas sed consequentia propriè syllogismo specta-  
tur: Imò Hoddae veritas principaliter, & consequentia propter ve-  
ritatem. ideo iubentur in scholis pueri primò videre ad formam syllo-  
gismi sine consequentiam, deinde, ea salua, ad materiam, vt de ve-  
ritate eius omni parte liqueat. Haec tot contradictiones, tot absurdi-  
tates Hoddae, quas omnibus hisce thesib. prodidisti, quibusq; te non  
dicam dolo, haud mediocriter deformasti, ultimam thesin tuam lucu-  
lenter confutant: eas si prius ipse considerasses, & ad veritatis exa-  
men castigasses, mea hic opera nequaquam tibi opus fuisset; quam cum  
mibi inuito extorseris, agrè ferre non debes, quòd alicubi te tibi osten-  
di. Ego quis tu homo esses, nesciebam; scriptum tuum indicio fuit, ni-  
hil te in Philosophia profecisse. quod in medico & miror, & doleo: ni-  
hilominus si Socratem iam senem non puduit fidib. discere, quanto ijs  
præstat philosophia, quantoq; tu eà magis indiges quàm ille musicà,  
tanto si sapias diligentius laborabis, vt ad meliorem mentem redeas.  
Nam sicuti corporis morbum omni etate, etiam decrepita, fugimus;  
ita multo magis tollere quòd animo officiat, nulla dies est, nulla hora,  
etiamsi tibi vltima futura esset, quæ id impedire debeat. Neq; vt di-  
xi, conqueri debes, si quedam legeris, quæ in te durius scripta esse vi-  
debuntur. Bene si dixissis, audisses bene. Tolerare ego errores possum,  
etiam errantem placide monere possum: sed & ferocientes contunde-  
re so-*

Th. 73.



re soleo: praesertim si cum conuitio rem gerant, sicuti tu fecisti. Illud quoque de te in fine hic conqueri habeo, iniuriam te fecisse gymnasio vestro non paruum: etenim ex inscriptione tua censent lectores, disputationem hanc publicè isthic habitam esse, & ita credidi ego quoque, ut ex principio huius meae disputationis patet. At contra esse iam experimur, neque enim de ea disputasti, neque quisquam ferè collegarum illius Gymnasii tam male consulit iuuentuti, ut in hoc cœnum eam immergere studeat: sed veræ Philosophiæ cultores, per Philippi compendia ad editiora rectam viam ostendunt. Si vnus aliquis priuatim quid molitur, eius culpam totum gymnasium luere, sanè iniquum sit. Ut impudenter fecerit ille, qui academiæ huic, hasce tuas theses, cum suis putidioribus, nomine scholæ vestræ inscribere ausus fuit: quem ego, ubi per negotia licebit, tractim tangam, ut dormiat. Te vero Hoddae veritati commendo, quæ utinam medico medicinam properet, quod sane tibi ex animo precor.

F I N I S.







X 220 2355











B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

XIX



AD  
**CONRADI HOD**  
DAEI M. D. ET GOT-  
TING. PHYS.

*TERETISMATA*

quibus

**CORNELII MARTINI ANDVVER-**  
pij professoris Logici in incluta Iulij  
Academ. pub.

**PRIMAE CONTRA RAMISTAS**  
disputationi

De subiecto & fine Logicæ

*OBSTREPIT,*  
**RESPONSIO AVTORIS.**



**HELMAESTADII**  
Excudebat Iacobus Lucius, Anno  
M. D. XCVII.



*Fg 705*

